




F 222

YL





Regula et Vita S. P. Benedicti omnino roborant et
animant nos; ut tanto magis accendamus ad agenda, que
vocat quanto certi sumus, eum non alia docuisse quam
ficerit. Hunc ergo imitemur, quoniam ad hoc venit, ut
formam nobis tradaret, et viam demonstraret. S. Bern.
Serm. de Natali S. Bened.



INSTRUMENTA
VIRTUTUM
SEU
BONORUM OPERUM.
CONTINUATIO

Sive
PARS III.

Complectens sedecim selectas
Virtutes à

S. P. BENEDICTO conscriptas, & præscri-
ptas in sacræ Regulæ Capite IV.

*Quæ in Religioso desiderari possunt,
et amari ac suspici etiam in Seculari.*

AB INSTRUMENTO L. usque ad LXVI.

Ex quibus

Non solum Religiosi omnes, omnes Eccle-
siastici, ac Verbi Divini Präcones, aut animarum Di-
rectores, sed & alij piè vivere volentes seculares
& Sodales, uberem utilitatem posse
haurire.

AUTHORE

P. BASILIO FINCKENEIS, Ordinis S. Be-
nediti, Liberi & Exempti Monasterij ad S. Lam-
bertum in Styria Professo.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ
339 REGIÆQUE MAJESTATIS.

120 VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis JOANNIS JACOBI MANN, 1691.

*Reverendissimis , Perillustribus ,
Prænobilibus , & Amplissimis
DOMINIS, DOMINIS,
Sacri Ord. Cisterciensis, Inferioris Austriae
ABBATIBUS.*

C L E M E N T I
*Celeberrimi Monasterij ad S. Crucem Abbati vigilantissimo. Nec non Sacri Ordinis Cisterciensis per utramque Austriam, Styriam & Hungariam Vicario & Visitatori Generali. Sac. Cæs. Maj. Consiliario.
&c. &c.*

M A T T H Æ O
*Celeberrimi Monasterij Campi-
liliensis, ejusdem Ordinis Abbati vigilantissimo. SS. Theologiæ Doctori. Sac. Cæs.
Maj. Consiliario. &c. &c.*

ALEXANDRO
*Celeberrimi Monasterij , Neostadij in Austria , ad SS. Trinitatem Abbati vigilantissimo. Sac. Cæs. Maj. Consilio-
rio. Inclitorum Statuum Inferioris Austriae à rationibus Deputato &c. &c.*

*Dominis, Dominis, ac Patronis
Gratiosissimis , Observandissimis.*

REVERENDISSIMI ET AM- PLISSIMI DOMINI, DOMINI.



Lij libros libellosùe suos dedicant,
ut gratias futuras accipient, ego
quia accepi. Igitur quod *V E-*
S T R U M est, & ex gratitudine
V O B I S debitum, hoc defero,
D O M I N I D O M I N I P R A E S U-
L E S R E V E R E N D I S S I M I V O-
B I S debitus, competens, & obstrictus libel-
lus iste est, imprimis ex ipso Authore, Reve-
rendissimis Dominationibus *V E S T R I S* ob-
multas acceptas gratias obstrictissimo, imò &
ex ipso objecto suo. Quid enim objectum hu-
jus operis, nisi virtus est. Sunt verò Celeberrima
V E S T R A Inferioris Austriae Monasteria
(vigilantisssimæ administrationi *V E S T R A E*
cœlitus commissa) vera & mera virtutum Do-
micia, ubi virtus hospitatur & domi est.
Domum ergo virtus properare videtur, dum
dicta virtus, seu potius tertius iste de virtute
Tractatus, ad vos, pedesque *V E S T R O S* pro-
perans, se submittit. Ad vos anhelat ultrò (Vir-
tute comite) iste Tractatus; quia hic virtus
domi est. Ad vos anhelat, quia virtutem se-
cum defert & devehit, quæ *V O B I S* obstri-
ctis-

Etissima est. Quantum enim vobis virtus debeat, nemo nescit: adeo ut problema moveri aut videri possit, num plus *VOBIS* virtus, num plus vos virtuti debeatis? Virtuti debetis aliquid, quia non nisi virtus ad ea, quibus fulgetis, Dignitatum & laudum culmina evexit: plus tamen vobis virtus debet; quam non solum in proprio sinu, id est in vobis ipsis sovetis, sed & apud subditos *VESTROS* & alios, pro viribus promovetis. Quam ut eò amplius promoveretis, amplissimum passim, illudq; Magnificum, domi virtuti struxistis vel auxistis domicilium. Quid enim verò Celeberrima Coenobia vestra, noviter & quasi funditus extructa, vel aucta & ornata, aliud sunt, nisi nova, auctiora, & ornatissima, splendidissima virtutum Domicilia. Ergo dum dum anhelat virtus & virtutis exiguis tractatus, domicilium illi ne denegetis, enixissime spero & precor. Gaudet virtus in arduo sistere. Ergo in Cruce Tua sancta eam cum papiro, cui inserta est, quiescere clementer sine (qui Clementis Nomen & omen habes) Domine Domine ad S. Crucem Praesul Reverendissime. Gaudet virore & flore virtus; virtus enim quæ marcat, virtus non est; ut ergo semper vireat & floreat virtutum manipulus, quem praesens continet Tractatus, eum inter lilia Tua admitte, & in campo litorum Tuum infere Domine Domine, Campiliensis

Prae-

Præsul Reverendissime. Gaudet perenni
motu virtus, ignis instar semper plus ultra
tendens: ubi cursus virtutis deficit, virtus de-
ficit & bravium. Virtutis est currere in sta-
dio pro bravio: dum igitur Neostadium us-
que excurrit virtus in hoc libello consociata,
admitte precor eundem benignissimè pro soli-
ta benignitate Tua, Reverendissime Domine
Domine Præsul, & Alexandrum (ut es) Te
esse commonstra, qui possis etiam è parvis fa-
cere magna, seu parva obligationis obsequia
facere magni. Ita precatur humillimè

*Reverendissimarum atque
Amplissimarum Domi-
nationum Vesta-
rum.*

Servus humilius

P. BASILIU's Finckeneis,
Ord. S. B. Profes: ad S.
Lambertum in Styria.

INDEX.

INSTRUMENTORUM ET PARA-
graphorum hujus III. Partis. Ab
Instrumento L.

- I**nstrumentum L. (hic primum) Cogitationes malaſ cordi ſuo advenientes mox ad Christum allidere. - - - - pag. I.
- Instrumentum LI. Cogitationes malas Seniori Spirituali patefacere. - - - - pag. 7.
- Instrumentum LII. Os ſuum à malo & pravo eloquio custodire. - - - - pag. II.
- Instrumentum LIII. Multum loqui non amare. pag. 18.
- Inſtr. LIV. Verba vana & riſui apta non loqui. pag. 25.
- Inſtr. LV. Riſum multū & excuſum non amare. pag. 34.
- Inſtr. LVI. Lectiones ſacras libenter audire. pag. 40.
- Inſtr. LVII. Orationi frequenter incumbere. pag. 50.
- Instrumentum LVIII. Mala ſua præterita quotidie cum lacrymis vel gemitu in oratione Domino confiteri. - - - - pag. 68.
- Instrumentum LIX. Et de iſpis malis de cætero emendare. - - - - pag. 77.
- Inſtr. LX. Desideria carnis non perficere. pag. 82.
- Instrumentum LXI. Voluntatem propriam odire. - - - - pag. 92.
- Instrumentum LXII. Præceptis Abbatis in omnibus obediſſe. - - - - pag. 101.
- Instrumentum LXIII. Non velle dici ſanctum, priuquam ſit, ſed priuſe eſſe. - - - pag. 123.
- Instrumentum LXIV. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. - - - - pag. 132.
- Instrumentum LXV. Caſtitatem amare. - - pag. 141.

F I N I S.



PARS III.

INSTRUMENTUM L.

Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere.

Correspondet hoc Instrumentum cum gradu 5. humilitatis Cap: 7. ubi S. P. B. probè æstimare jubet *DEUM cogitatis nostris semper præsentem esse, juxta illud Prophetæ: Scrutans corda & renes Deus;* Et iterum NB. *Intellexisti cogitationes meas de longe, &c.* & *cogitatio hominū confitebitur tibi.* Ideoq; solicitorum jubet esse utilem Fratrem circa cogitationes suas perversas, utique eas mox ad Christum allidendo; aut Seniori spirituali patefaciendo: quod S. Benedictus adhortatur capite 7. citat. gradu 5. ubi dicit humilitatis quintum gradum esse. *Si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes per humiliem Confessionem Abbati non celaverit suo, bortante Scripturā & dicente: Revela Domino viam tuam.* Verum de hoc posteriori agemus Instrumento sequenti.

Quàm necessarium hoc Instrumentum sit Religiosis puritatis & innocentiae amantibus, & peccata graviora aversantibus, inde patet. Quòd peccata omnia qualiacunque sint (levia, levissima; gravia, gravissima) semper ortum & initium suum à cogitationibus suggestis habeant, ideoque opus quàm maximè est, cogitationes pravas insurgentes quantocyùs intercipere, Infringere, conquassare, priusquam ad consensum voluntatem inducant, & ad opus abominandum progrediantur. Ubi ergò ab initio cogitationes adhuc teneræ, molles, recentor natae, imò vix conceptæ tol-

luntur è medio, facile cætera omnia peccata oris vel operis evitantur, quæ aliæ ex illis nascerentur, quia ut Matt: 15. 19. dicitur: *De corde exerunt cogitationes mala, homicidia, adulteria, fornicationes, furtæ, falsa testimonia, blasphemie;* ubi vides primum horum malorum principium designari cogitationes mala, quas cætera sequuntur mala. Consultò igitur hic consulit S. P. Benedictus, cogitationes mala cordi suo advenientes mox ad Christum allidere & elidere, utpote quibus clisis cætera quoque scelera elisa sint & eliminatae.

Sed quid sibi vult particula illa *mox.* Mox ad Christum allidi vult cogitationes mala S. P. Benedictus? nimirum dum adhuc parvæ sunt cogitationes, & quasi primo in ortu, cogitatus hujusmodi parvulos arripi, coërce, allide ad Christum: celeriter nimirum obvia pravis cogitationibus, priusquam radices figant. Et certè si filij hujus seculi prudentiores filijs lucis sunt in sua generatione, invabit hanc prudentiam ab ijsdem discere. Herodes (ne recens-natorum puerorum aliquis, olim futurus robustior & fortior, regnum, coronam, sceptum sibi eriperet & tolleret, parvulos omnes persequebatur, priusquam in viros & hostes robustos excrescerent. Rex quoque Ægypti Pharaon extermi-
naturus ex integro hostes suos, sequere eorum metu liberatus morte affici voluit infantes Hæbreorum, ut sic Hæbreorum tanquam hostium suorum totam progeniem in sobole extirparet: probè gnarus, facilius vinci hostem, dum adhuc debilis & imbellis, & primum in accessu est, quam ubi pedem & castra iam fixis, viribus auctus. Eodem plane sed pientiori actu & consilio cogitationes nostræ mala mox in ortu, seu quamprimum adveniunt, allidendæ & elidendæ sunt. Et hoc sanè est iniuriam omnem tum verborum tum operum, tum internorum consensuum funditus elidere, & delere in ipsa sobole, in radice, in semine. Si quidem ut S. Damiani: *Noster in vita Barlaam, & Iosephat*

phat cap: 19. confirmat : Non nisi per cogitationes ad actiones ipsas devenitur, omneq; opus à cogitatione progre- diens, parvum primò initium tenet, ac deinde tacitu in- crementu augescens, ingens ad extreum efficitur ; ob eamq; causam nullo modo permitte, ut improba cogitatio tibi dominetur ; verū dum recens est, parvam radicem è pectori tuo evelle, ne alioquin cùm pullularit, ac radices suas altè fixerit, postea non nisi magno labore extirpari possit. Hæc ille. Cui consonat Mezlerus lib: 1. capite 13. de imitatione Christi, dicens :

Sic serpit subtile nimis per viscera virus,

Quod poterat facilis per domuisse labor.

In clypeum assurgit neglectus & insilit hostis,

Qui (nisi cessisset) aufugitus erat.

Ex his (puto) colligis, quid sit cogitationes ad Chri- stum allidere, ille nimirūm bene ad Christum allidit, eliditque, confringit, & debellat cogitationes suas, qui quamprimum mala cogitatione se peti, & tentatione provocari sentit, mentem suam & cogitationem ad Christum crucifixum conjicit, ejusque adjutorio confidit, dicens forte cum Petro : *Domine salva nos, per- mis.* Vel cum Psalte : *DEUS in nomine tuo salvum me fac : adjuva me, & salvis ero Domine.* Adjutor meus esto, ne derelinquas me ; *DEUS in adjutorium meum in- tende ; Domine ad adjuvandum me festina.* Vel quid simile ; Aut cum Jobo : *Domine vim patior, responde pro me.* Tali elevatione mentis ad Christum dissipabit Religiosus facile in virtute Christi malarum agmen cogitationum, ad eum modum, quo olim Israëlitæ in solitudine, parvis sed nocivis serpentum mortibus icti, aspectu serpentis ænei (qui Christi fuerat figura crucifixi) illicò sanabantur, nec ulterius venenum læthiferum serpebat. Hanc in rem S. Isidorus lib: 2. de summo bono, cap: 1. *Diabolus serpens est lubricus, cuius si capiti id est prime suggestioni non resistitur, totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur.*

Aliam similitudinem dant alij, quemadmodum
(aiunt) pudica Sponsa, à lenone adultero solicitata
ad nefandum crimen, facile periculum lapsus evadit,
si ad Sponsum clamet, eiique intentatum nefas aperiat;
similiter Religiosa anima Christi Sponsa periculosas co-
gitationes & suggestiones facile eludit, si eodem mo-
mento ad Christum Sponsum confugiat, ejusque ad-
jutorium imploret. Taliter cogitationes suas pravas
& tentationes graves ad Christum Sponsum allisit, &
victrix evasit. S. Justina Virgo Antiochena, quæ à pri-
mæ nobilitatis & maximarum opum parentibus orta,
præter alias naturæ dotes & fortunæ favores mirâ pol-
lebat corporis pulchritudine, ob quam multis procis,
sed Christo cœlesti Sponso multò magis ob animi can-
dorem & pulchritudinem placebat. Hæc pro sua in
DEUM pietate solebat quotidie ad Christianorum tem-
plum itare, ibique preces suas & suspiria offerre. Sed
hic ferente viâ transfire debebit juxta ædes aliquas, quas
Arglaidas patricij generis & amplissimarum fortuna-
rum juvenis inhabitabat, qui in Justinam ob raram
formæ venustatem præ amore sic inflammabatur, ut
insanire videretur. Cæterum insanus amator nihil
omisit, nil intentatum reliquit, quo Virginem in vota
sua pertraheret; adhibet blanditias, facit promissa, o-
stentat opes, generis claritatem jactat, &c. sed si ustræ.
Ne ergo totaliter suo frustraretur amore, incantatorem
quærit, qui stygijs carminibus amorem & consensum
Justinæ extorqueat atque conciliet. Erat autem tunc
Antiochiæ famosi nominis magus, nomine Cyprianus;
hunc adit, consolit, magnisque promissis corrumpit,
ut pervivacem Virginis genium potentior aliquis ē
styge genius expugnaret: is præstò est, operam suam
spondet, magicum carmen immurmurat, & uni de
præcipuis immundorum Spirituum ducibus imperat,
ut negotium debellandæ Justinæ Virginis strenue sus-
cipiat. Neque legniter audijt imperata ælastor, cer-
tam

tam de contumaci puella victoriā promittens: quid
(ait) an mihi sit difficile, fœminam unam de castita-
tis proposito dejicere, qui magnas cum mœnibus ur-
bes everti? fratres & conjuges in mutuas cædes inci-
tavi? multos Angelis propiores quam hominibus ē
summa animi puritate in turpissimam voluptatem
cloacam præcipitavi? en tibi hoc pharmacum (in vase
illud obtulit, Stygiā manu præparatum) quo si asper-
seris domum Virginis, continuo insuetos calores sen-
tiet. Fecit, quod erat jussus magus, parietes succo illo
Tartareo conspergit. Et ecce mirum in modum, Vir-
gineum Justinæ pectus æstuat, & impuris cogitationi-
bus inflammatur! sed has illa quantocv̄s ad Chri-
stum allidens, sic suppliciter & non sine suspirijs Chri-
stum affatur: ô Christe DEUS! castarum animarum
sponse! quid patior? quibus cogitationibus & æsti-
bus uor? &c. Seque salutiferæ crucis signo muni-
vit; mirum est, quam validè, quam citò hostiles in-
saltus represserit; Oravit, Christum in auxilium vo-
cavit, crucis clypeum hosti obiecit, & subito hostem
vicit & fugavit. Tentari potuit superari non potuit.
Ergo re infecta discedendum fuit incentori libidinis,
falso: se quodam signo, digitis in crucis modum per
ærem ducto, rejectum, vires illios sustinere non po-
tuisse, multò minus prævalere. Cyprianus repulsam
hanc infirmitati & impotentia Spiritus illius adscri-
bens, validiorem ex Orco evocandum duxit; & evo-
cat primipilum aliquem ex agmine Cacodæmonum;
paret vocatus, & fortius libidinis venenum conatur
inspirare per cogitationes pessimas Justinæ Virgini;
Hæc cogitationes ejusmodi ad Christum seu crucem
Christi allidens, signaculum crucis efformat, quo ter-
ritus dæmon non secus ac prior fugam arripit. Ad-
juratur ergo tertius multò potentior dæmon: qui sub-
tilius & per stratagema aggressurus Virginem san-
ctam, Virginis & ipse (seu honestæ puellæ) vultum

habitumque induit; ad Justinam se confert, mentitur Divinam se inspiratione adductam, ut, quoniam & ipsa quoque Virginitatis amore teneretur, disceret ab ea rationem vivendi, floremque castitatis tuendi. Respondet ergo Justina (nihil hic deceptionis suspicata) castitatem quidem non sine difficultate pugna custodiri, sed neque sine gloriosa victoria, & longè pulcherrimam vincentum coronam (paratam in celo) conservari. Subjecit hic diabolus: Si tanti est Virginitas, dic amabo Justina, si prima omnium Mater Virgo vixisset, unde propagatus mundus fuisset? unde homines & tot Sancti provenissent? unde tu ipsa lucem aspexisses? prodidit se verbis istis callidus serpens; agnovit enim Justina fallaciam larvatae puellae. Diabolo igitur illi in illa larvata puella latitanti mox iterum formam crucis objecit, & tertio jam assultu viatrix, nequissimum hostem triumphavit, è vestigio disparentem. Qui ad Cyprianum redux fateri coactus est, se trophyo crucis in fugam (uti priores socij) actum, & ad nihil redatum esse cum Consilijs suis. Eccce quantum prospicit, quantum possit cogitationum malarum cordi adventivum, & a dæmone suggestarum subita ad Christianum allisio per invocationem Christi, vel formationem crucis Christi: hoc ergo utere signo, hoc utere Instrumento; & promitto in hoc signo, hoc Instrumento vincies.

Haud ergo maligno hosti maligna svadenti, aut suggerenti cedendum, sed fortiter standum, fortiter pugnandum est. Quomodo? prima diaboli machinamenta evertendo; hoc est cogitationes malas mox elidendo, quem toties vel imbellis fœmina Sancta Virgo Justina debellavit. Recte Mezlerus libro 3. cap: 6.

Tu ne cede malis, centum ut tibi retia tendat

Hostis, in os regeras, quos vomit ille finos.

Strenuus esto pugil: si lapsus es, arma resume.

Instaura pugnam calice fæsius opa.

Dic misero procul i quovis hircosior hirso.

I procul, & fædo porce rubore crepa.

Inspuo te, nec enim tua me commercia pascunt,

Debetur nostri mica nec ulla tibi.

Stat JESUS nreus hic, invictus & obfitus armis.

Te vafer impostor sanna pudorq; manet.

Malo mori, bifidusq; caput submittere sicut;

In fraudes pedibus, quam semel ire tuas.

Ergo tace: surda posthac pellendus ab aure.

I procul! & longè peccora nostra fuge.

Lux mea Christus erit, meus & Dux: ille juvabit.

Afferuit vitum, qui mihi morte suam.

Synopsis & praxis hujis Instrumenti. 1. Cogitationes pravas insurgentes, dum adhuc teneræ sunt, & recenter enascuntur, quantoq; sine mora recutere: quo factio ab omni semper peccato liber eris.

2. Inter alios modos & media, cogitationes malas repellendi, sic: quantoq; mentem & cogitationem suam ad Christianum conjicere, & hunc Crucifixum: ejusq; opem implorare, exemplo Justinæ Virginis. Vide an hos modos & media adhibueris, & adhibe posthac.

INSTRUMENTUM LI.

Cogitationes malas Seniori spirituali patefacere.

Jubernus non solum cogitationes malas imprimis ad Christum allidere: sed (quod alterum est) quandoque cogitationes ejusmodi, Seniori spirituali patefacere: ubi tamen per Seniorem spiritualem non intelligitur vir canus & antiosus, qui longevam duxerit vitam, sed qui in maturingitate, sensu, judicio, prudentia, intelligentia pte alijs est praeditus. Juxta illud: Smeletus venerabilis est, (sed qualis) non diuturnus, neq; annorum numero cōsiderata: Sed ubi tanti sunt sen-

sus hominis, & ubi etas senectutis est vita immaculata. Sapi: 4. Et ut S. Basilius ait: Senior secundum animans est, qui prudentia perfectus est; qualis erat Daniel, qui quamvis corpore juvenis, sapientiam ac gravitatem omni canitie præstantiorem præferebat. Hoc ipsius innuerre volebat Poëta ille, dicens:

*Consilium prudentis ama: sua pandere cuiq[ue]
Haud juvat; externo te juveniq[ue] nega.*

Omnis ergo prudentis viri amandum est consilium, seu juvenis sit, seu canus; modò non judicio, prudencia & moribus sit juvenis. De tali ergò intelligendus Vates est: *Extraneo te juveniq[ue] nega.* Adde, quod S. Pater Benedictus dicat Seniori spirituali, non materiali, seu, qui tantum sit senex ab annis, sed spirituali Seniori, qui spiritu, probitate, maturitate, doctrinâ prævalet.

Hujusmodi igitur Seniori spirituali patefacere quandoque oportet & expedit cogitationes malas cordi advenientes; quod utinam omnes cordi sumerent, & non cum detimento quandoque corporis, dispendio sanitatis, jactura aut certe periculo animi, intra se pravas quandoque & ineptas cogitationes decoquerent, torquentes se ipsos, & sibi metipis graves; dum ineptis cogitationibus præventi (seu pusillanimitatis, seu impuritatis, seu iræ & rancoris, seu suspicionis vanæ contra Confratrem, aut Superiorem, &c.) nesciunt juvare semetipsos; & qui juvare scirent, non se eis concidunt, sed omnia intra se contegunt, ruminant, digerunt; fiuntque sibi metipis & alijs graves, ut possint cum Jobo dicere: *Cogitationes meæ dissipatae, hoc est, disparatæ, impertinentes sunt, torquentes cor meum; noctem mihi vertunt in diem, nam somnum omnem & quietem præcipiunt, & intercipiunt.* Nec est mali remedium, utpote nulli confisum medico & manifestum: quos tamen longè facillimum esset quandoque vel verbulo, aut consilio, vel veritatis manifesta-

tione, aut erroris, in quo mente defixus haeret, dete-
tione juvare, curare, tranquillitati restituere. Sed u-
tiq[ue] tales contra præsens Instrumentum, contra ani-
mi candorem, contra charitatem erga se ipsum, &c.
non mediocriter delinquent.

Eccur nollet quis cogitationes malas, malum animum torquentes, quocunq[ue] in genere, quacunq[ue] de re Amico & Patri spirituali patescere? si enim non cunctatur homo suas infirmitates, vulnera, ulcera abscondita aperire extraneo medico, non spirituali viro, non Amico, ubi agitur de salute corporis: multò minus erubescendum Religioso humilitatis amanti, ut pravas cogitationes, affectiones, suggestiones, & motus animi, quibus impugnatur, spirituali Medico, & amico domèstico detegat, ac patescatur; ubi agitur de salute non corporis, sed animi, immo s[ecundu]m simul & corporis & animi: Et quamvis hoc Instrumentum quo ad posteriorem etiam partem hanc, omnibus Religiosis sit perquam utile & necessarium; specialiter tamen tyronibus, & junioribus istud est convenientissimum, ut eas, quas patiuntur cogitationis, & tentationes (quæ novellis Christi militibus deesse non solent) suo statim humiliter revelent Patri spirituali & Magistro, qua de re vide Lancicum opusculo 10. numero 131. Hi enim cum novelli sint, & minus exercitati in pugna spirituali, nondum sufficientes proprio Marte solâ manu vel brachio contra diabolum pugnare, ideo facilius est illos vinci ac debellari, aut in pusillanimitatem vel desperationem adigi: nam ut Cassianus lib: 4. de inst. renun: Cap: 9. ait: *Non poterit diabolus circumvenire vel dejicere juvenem Monachum, nisi eum, quem viderit aut per verecundiam, aut per superbiam suas cogitationes Superiorum celare.* Et evidenter diabolica[m] eam cogitationem Patres esse dixerunt, quam junior seniori confunditur aperire. NB.

Placet etiam referrere verba Gerardi in hæc verba:

Tunc (ait) fruſtra adhibentur doli, quando ipſi dolis ſunt aut ſunt proditi ; neq; unquam melius evertitur omnis ratio oppugnandi. Eoipſo jam vincitur ille Stygius Archistrategus, quando cuniculi ejus & infidæ occultæ ſacriss produntur Ducibus. Et ſanè neq; dolo, neq; vi, quidquam in eum proficit Orcinus hoſtis, quando ſe duci à Duce ſuo ſpirituali, Religiosus tanquam Chriſti miles permiferit. Et o Stultum & temerarium illam (N.B.) qui ſolus cum tanto hoſte conſigere prefumpferit ! maximè ſi novelius ſit, & Religioſæ militiæ Tyro, vel junior. Gerardo adſtipulatur Merlerus lib. 3. cap. 7. de imit: Chriſti.

Qui novus eſt miles, Duce in ſapientia regatur,

Deceptu facilem ſera corona manet.

Incudit in caſſes, moniti contemptor amici,

Pradag, Ditū iners, qui ſibi fidit, erit.

Id verò quicunque facit, & cogitationes ſuas perversas (quibus tentatur) humiliter confidenterque Patri ſpirituali patefacit, eoipſo illas quodammodo ad Chriſtum allidit. Quid enim ſunt Patres ſpirituales, niſi Chriſti Coadjutores, aut Chriſti Vicarij ? juxta illud Matth: 10. Qui vos audit, me audit ; non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris vestri loquitur in nobis. Ideoque rectiſſime S. P. B. dum præcipit cogitationes improbas illico ad Chriſtum allidere, ſimul imperat eis Seniori ſpirituali patefacere, utpote Ministro & Vicario Chriſti. Ad Chriſtum enim cogitationes perverſas allidit, qui cum eis & in eis, ad Chriſti Vicarium & Ministrum, nempe ad Patrem ſpiritualem recurrit. Igitur qui hoc Instrumentum ſervat, ſervat etiam illud, quod inmediate antea erat poſitum, ſcilicet : Cogitationes malas ad Chriſtum allidere. Idcirco eadem operâ Instrumenta duo ſervare poteris, ſi id unum obſerves, ut cogitationes ſinistras cordi tuo advenientes, Abbatem tuum, Superiorum alium, aut Seniorem, seu Virum prudentem non celaveris.

Synopsis de praxis hujuſ Instrumenti, I. Cogitationes

tiones pravae & tentationes, item animi afflictiones Patri spirituali Viroq, sapienti patefacere, animiq; pressuræ non intra se concoquere & semetipsum consumere, qualescumq; denum illæ cogitationes sint, sive pusillanimes, sive impuræ, sive iracundæ, sive suspiciose contra affectum Confratrii, vel Superioris, &c.

2. Sicut mala & affectiones corporis Medico perito libenter aperimus, ita & mala atq; afflictiones animi libenter spirituali Medico aperire : qui juvare sciat, aut afferre solatum.

3. Vel maximè in Novitiatu, aut Junioratu, seu junioribus annis, Patri & Magistro spirituali cogitationes, tentationes, afflictiones patefacere suas : quia dicens & circumvenire non potest diabolus, nisi quem viderit per iracundiam aut superbiam cogitationes suas celare Superiorem, aut Seniorem, seu Patrem spiritualem.

4. Non confundi, ullam cogitationem pravam aperire Seniori, quia talis cogitatio & tentatio evidenter est diabolica.

5. Unâ operâ & unico opere servare Instrumenta duo bonorum operum. Nam cogitatus malos Seniori spirituali patefacere, est illos ad Christum allidere.

Vide Religiose, an hanc confidentiam habueris vel adhibueris hactenus, patefaciendo tua secreta cordis semper Viro prudenti, aut Patri spirituali ; & post-hac illam adhibe.

INSTRUMENTUM LII.

Os suum à malo & pravo elo-
quio custodire.

Experientia constat (inquit Tob. Lohner Parte 8. pag: 153.) nullo ferè membro frequentius & gravius delinquere Sacerdotes & alios Religiosos,

sos, quām ore & linguā. Hinc meritō tranfit S. Legislator à præcavendis peccatis cogitationum ad peccata oris præcludenda, jubens os suum à malo & pravo eloquio custodire. Ethoc Instrumentum est illud ipsum Pauli monitum Eph: 4. *Sermo malus ex ore vestro non procedat*; Et illud Prov: 13. *Deponite vos turpem sermonem*. Quantopere autem averfatus sit S. P. Benedictus malum & pravum eloquium, constat ex vita ejus Cap: 23, ubi dicit S. Gregorius: *Vix ipsa communis ejus locutio à virtutis erat pondere vacua, quia nequaquam verba de ore illius incassum cadebant*. Hinc dum minaretur excommunicationem linguis illis pro cacibus Sanctimonialium, senserunt excommunicationis severa vim etiam post mortem; uti videre est titato Capite.

Et licet omnes quidem tangat obligatio & necessitas abstinendi ab inquis indignisque sermonibus, & lingvam ab omni malo, & pravo eloquio (maxime autem impuro & impudico) cohibendi; ad Religiosos tamen id quām maximē spectat, dicente S. Jacobo Apostolo: *Si quis putat se Religiosum esse, non refranans linguam suam, hujus vanus est Religio*. Unde & S. Petrus Dam. lib: 6. epist. 26. ait: *Faceſſat ab ore militis Christi omnis vani eloquij ineptia; & lingva (quæ immaculati Agni rubet sanguine) dedignetur ociosi sermonis ſeſe factibus inquinare*.

Quid ad hæc Cypridis Alumni, quibus volupe est ſurcis colloquijs os proluere, imò polluere. Audite, quā poena severè castigati fint duo hujusmodi loquaces imò falaces confabulatores. Refertur in vita S. Walericci Abbatis. Die 1. Aprilis. Quid ingressus tempore hyemis domum & cubiculum cuiusdam Præbiteri (ut frigentes artus non nihil ad focum refoveret) non tam Vulcanum quām Venerem ardere ex impuris colloquijs (quæ cum loci Præfecto Præbyter ille miscebat) adverterit. Monuit Abbas, ut desisterent;

Non

Non desistentes ipse ultrò deseruit, & abscessit: ait successit quantocvls vindicta cœlica, quæ Sacerdoti oculorum usum, Præfecto verò illi etiam vitam abstulit exemplò. Nonne severa est sed justa certè pœna lingvæ lascivæ. Vedit tunc vel cœcus Præbyter ille, & agnovit, quantum nocumenti lingva lasciva ferat, & quantum puer amor, excœcaret eos, qui impudica & turpitudinem spirantia verba loquerentur. Expertus est & ille Præfectus, mortem & vitam esse in manibus lingvæ, dum Venereis verborum acuminibus lingva eum propria necabat. Quem, quæso, non terreat hæc vestigia! Si tanta est divinæ ultionis severitas in malè seriatam fortè alicujus Religiosi aut Sacerdotis lingvam, quis ergo non compescat lingvam suam, & metuat eandem (tremendo nimis fangvine Christi, ex Eucharistia sumptione frequentiori rubentem) in scandalosa & heu perniciosa nimis turpiloquia resolvere? Quid ergo illi? qui in convivijs, confessibus, conventiculis falaces jocos, dictoria impura, trivialia & obscena fabrorum proverbia, exquisita, obscura & inepta atque in sinistram inhonestamque partem facile interpretabilia ænigmata, ac etiam sic intellecta, sine verecundia, sine reverentia, sine conscientia audent proferre, proponere, miscere, urgere, continuare? aut ad similia ab alijs prolata, cum hilaritate, gaudio, & approbatione audire, atque eructatis ex turpiente stomacho eachinis arridere? Si Religiosus es (ait Bislingus in monte Thabor Digress. 9. num: 9.) quid tibi cum fabrilibus jocis? Si Monachus es, si Sacerdos, si salteræ? quid tibi cum procacibus, lascivis salibus & per DEUM immortalem, quid cogitabunt de te talia turpiloquia effutiente adstantes? quid seculares audientes nisi quodd ex abundantia cordis os loquatur. Nam vanus sermo vane conscientiae est judex; & turpis obscenus que sermo, conscientiae & animæ turpis atque obscenæ. Mores enim hominis lingva pandit: Qualis ser-

mo exhibetur exterius, talis animus probatur esse interius; quoniam ex abundantia cordis os loquitur.

Neque tamen hoc Instrumento solum vetantur eloquia obscoena, Veneremque sonantia verba, sed omnis generis colloquia prava, seu mala eloquia: ut sunt verba ociosa, mendacia, mordacia, contentiofa, murmuriosa, detractoria, blasphema, pejura, &c. Fac, si placet hic examen super proprios linguae tuae defecus, & statue posthac ab omni hujusmodi malo & pravo eloquio lingvam tuam custodire, dicens cum Prophetā: *Dixi custodian vias meas, ut non delinquam in lingua mea: ponam ori meo custodiam, & ostium circumstantiae labijs mei?* Sed eheu! quam male saepe os custoditur (inquit Gerardus Belga) ex quo eruptio est tam frequens & repentina verborum ineptorum, levium, mordacium: ex quo tot tela in obvios jaciuntur & fulmina, quibus non praesentes solum lingua incustodita laedit, & oppugnantes oppugnat; sed remotissimos saepe & ignorantes (qui nec defendere se possunt) vulnerat. Audiant, qui vel obscœna vel alias prava eloquia loquuntur, qui convitia proférunt, & nescio ad quos abusus ore abutuntur & lingua: Coigitent, quale os turpent, qualē lingvam dedecorent. An non piaculum grande duceres, calicem aut ciborium DEO consecratum ad profanos usus adhibere? Et non magis vereberis ore & lingua (quibus instar calicis aut ciborij corpus & sanguinem Christi toties recipis, & quotidie in stomachum transmittis) abuti ad malos, vanos, & pravos sermones cuiuscunq; generis?

Certè non modicum DEUS Optimus Maximus offenditur, dum sic impuro & incustodito corde & ore in SS. Eucharistia Sacramento suscipitur. Legere est in vita S. Wicterpi Episcopi horridum fatis exemplum, quod totidem fermè verbis refertur in anno Marti Benedicti ad diem 8. Aprilis: Fuisse dicitur Wicter-

Wicterus sanctæ cuidam Virgini (Herculeæ nomine) familiaris, hanc ipse sæpius de cælo invisere, aspectu & alloquio suo dignari consuevit; imò dum illa ad Divinum Eucharistiae epulum accederet, Dux ille plenumque & comes ibat. Dum verò quadam vice in Ecclesia coelesti Sacrificio adesset sacra Virgo, adstitit à latere Wicterus; simul & Christus se oculis visendum objecit, plagis undique & sanguine deformatus. Expalluit pia Sponsa ad tam triste Sponsi sui spectaculum. Cui Wicterus: cernis & doles soror Sponsi tui tam diram Catastrophen? Ah istam iste Sacerdos Richardus (cujus Sacro assistit) scenam facit, qui impuras manus (quidni & impura labia) affert, dum sacrificat. Huic tu oculos nega, & lugubri isto spectaculo carebis: Dixit, & disparuit. Nunquid & te Religiose eodem monitore S. Nostro Wictorio monitum te putras, ut, dum divina tractas, puras manus, puraque ab omni malo & pravo eloquio labia afferas. Si enī Superi oculos à tam charo alijs Divini Sacrificij spectaculo avertunt, & averti jubent, ne carnificem Domini impurum Sacerdotem videant, hem quibus oculis ipse Christus, olim Judex, tam graviter læsus, tales ad tribunal aspiciet?

Neque solùm sanctissimæ Eucharistiae intentu, qua Religiosus tam sæpe fruitur, sed & intuitu verbi Divini (quod Religiosus in Breviario, in lectione sacrae Scripturæ, & præsertim Sacerdos, Concionator, vel Confessorius, toties ore profert) deberet utique specialiter ab omni malo & pravo eloquio os suum custodiare? Ex quo vides Instrumentum hoc rursus Religiosus specialiter & quam maxime esse proprium, eis Christiani omnes alijs ad idem tenentur, scilicet ad custodiendum os suum à malo pravoque eloquio. Philib: de doceal: ait: *Nefas est per os, qua profertur nomen sanctissimum* (scilicet DEI) *quidpiam trope progrederi recte: quippe quod Divino obsequio israel dicatum*

tum est, profanis usibus absque sacrilegij labe ultra
mancipari non licet. Atqui Religiosi utique divino
famalutui addicti, os suum potissimum & lingvas, sa-
ceris & solis DEI laudibus consecrâunt, ergo jam alieno & pravo usui eas impenderet non licet. Religiosorum
enim est (ait Stengelius consideratione super hoc
Instrumentum pun: 2.) de DEO, vel que ad honorem
DEI spectant, facere verba : Quod si secus agant, & os
suum à malo & pravo eloquio non custodiant, lingvam
DEO sacram, os DEO dicatum profanant ; & quot hu-
jusmodi verba proferunt, totidem Sacrilegijs se polluunt.
Hæc ille. Cui adstipulatur Bern: Quæ inter seculares
sunt nugæ, inter Sacerdotes & Religiosos sunt blasphemiae.
Consecrânt os suum Evangelio, Breviarie, DEI laudibus ?
Igitur illud aperire nugis illicitum, afflescere sacrilegum
est. Et ut ad sacram Communionem redeam, cuius
intuitu præcipue, os ab omni malo & pravo eloquio
custodiendum est, reserre placet, quod refertur de S.
Gertrude Nostra.

Cùm S. Gertrudis (insigne Decus Ordinis Nostri) post sumptam communionem animo revolveret (fortè super hoc Instrumentum S. P. B. se reflectens) quantâ diligentia os esset custodiendum, quod præcipue inter alia membra esset receptaculum pretiosorum Chri-
sti mysteriorum ; hac similitudine instructa est à Do-
mino : Si quis non observans os suum à verbis vanis, fal-
sis, turpibus, detractorijs & similibus, & impenitens ad
sanctam accedit Communionem, tali modo suscipit Chri-
stum, quantum in se est, sicut qui hospitem (NB.) in ipso
ingressu lapidibus, in supraliminari congregatis, obrueret,
vel velle duro caput ejus obtunderet. Ita Christus ad Ger-
trudem Libro 3. cap: 18. insinuationum Divinæ piet:
pag: 231. Quod si ita est, an non meritò S. P. B. mo-
net : diligenter os suum à malo & pravo eloquio cu-
studiare : an non meritò antememoratus noster Petrus
Dam: dixit : Fageat ab ore militi Christi omnis vani

rumoris ineptia; & lingua (que immaculati Agni imd summi Verbi rubet sanguine) deditetur ociosi sermonis se facibus inquinare. An non bene Propheta precatus est, pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiae labijs meis? Idem oret & exoret etiam Religiosus, frequenter ingeminando cum Davide: *Pope Domine custodiam ori meo, &c.*

Si queras, quid sit ponere custodiam ori suo, & ostium circumstantiae labijs suis, n. Sicut Religiosus quidam, ne unquam temerè cellā exiret, ostio cellā hæc verba inscripsit: *Necessitas, utilitas, charitas;* citra quas causas cella deserenda non esset; Sic similiter Religiosus eadem tria verba ori suo quasi inscripta reputet, ponetque hisce tribus vocabulis optimam ori suo custodiam, & ostium circumstantiae labijs suis, si hæc tria verba circumstent & obstant, ne malum & pravū egreditur eloquium, quod nec necessitas, nec utilitas, nec charitas svadeat. Vel fac Religiose, quod S. Augustinus fecit, & fvasit: ut omne verbum prius veniat ad limam, quam ad linguam; id est, ne unquam inconsideratè loquaris, non præmetitendo loquenda monente Ecclesiastico: *Aurum tuum & argentum confia, & verbis tuis facito flateram.* Quid autem est aurum & argentum conflare? nisi omnes vires congregare, ut consideratè loquaris. Vel denique non alter loquaris, quam animo fingens, quasi totus Conventus, tota domus, tota civitas, tota Provincia circumstarent & audirent, quod loqueris. Hæc observando, facile os tuum à malo & pravo eloquio custodies.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. A verbis in honestis, maxime impuris & Venerem sapientibus, absinere.

2. Verba etiam ociosa, mendacia, mordacia, contentiosa, murmuriosa, detractoria, blasphema, pejura, vita deponere, & defvescere.

3. Nihil aut non facilè loqui, quod non suaserit necessitas, utilitas, charitas.

INSTRUMENTUM LIII.

Multum loqui non amare.

Rursus à minus perfecto ad perfectius opus progressetur S. Legislator Noster. Bonum equidem est, os suum à malo & pravo eloquio custodi-re; sed perfectius adhuc est, ne quidem in non malis & non pravis eloquijs excedere, & multum loqui non amare. Deinde vel ideo rectè hoc Instrumentum priori subjungitur, quia inseparabilia ab invicem videntur; vix enim possibile est os suum à malo & pravo eloquio sufficienter custodire, si quis multum loqui amet, dicente Scripturâ Prov. 10. *In multiloquio non derit peccatum.* Quomodo enim possibile moraliter sit, in multiloquio & loquacitate (seu inter multa verba) non intercurrere & effutiri quandoque verba mala, verba prava priori Instrumento prohibita? testante id denuò Scripturâ Prov. 29. *Vidisti hominem velocem ad loquendum, stulti magis speranda est quam illius correctio.* NB. Usqne adeò desperata est correctio hominis loquacis! Qui enim multum loqui amat, quomodo fiet, quò minus in malum, pravum & stultum eloquium prolabatur? siquidem pro loquacitate suâ omnia promiscue (prout in os incident) eloquitur. In quæ verba Scripturæ Gerardus Noster: *Certè qui peccatum in multiloquio non curat, ut quid non saltē suam famam vindicat, quando stultus est, qui verba multiplicat, cuius stultitiam nemo corrigit?*

Arsenio petente ostendi sibi viam ad salutem, vox cœlitus allapsa est: *Fuge; tace, quiesce: & salvaberis.* Infero jam conclusionem à contrario, utique hanc: ergò qui non fugit multiloquium, qui non fugit occasionem peccandi (qualis est in multiloquio) qui non tacet, & garrire totâ die non quiescit, non salvabitur. Econtra recte Ecclesiasticus c. 19. ait: *Qui edit loquacitatem,*

batem, extinguit malitiam. Hinc malitiam mali & pravi eloquij in Discipulis suis extingvere volens S. P. B. hic recte loquacitatem odiisse & fugere præcipit.

Hoc ipsum boni operis Instrumentum seu fugam multiloquij & loquacitatis inculcavit euidam Præfulti S. Hugo Abbas Cluniacensis, tanquam optimum contra lingvæ vitia & subrepentia peccata (quæ in multiloquio deesse non possunt) antidotum ; ejusque multiloquium & loquendi abusum ac excessum, petulantiamque sæpius corrigens dixit fore, ut nisi hanc culpam expiaret, graviter illam inter flammas piaculares luiturus esset. Et ecce evenit res, uti vaticinatus est fäcer Vates. Vix enim moritur Præfulus ille, & ecce subito os pustulis male male notatur, seu potius sic male notatus ore apparet, indicans ipso facto, se de multiloquio suo pœnas dare multitudine pustularum. Hugo sicutur ut succurreret, septem dierum silentium Monachis indixit, ut silentio compensarent, quod alter multiloquio deliquerat, quâ ratione etiam illum de lingua male usurpata reum, è purgatorio liberavit. Vides ergo Religiose, quantum interlit multum loqui non amare, nisi multam propterea velis incurrere multam, & post mortem pœnas dare de peccatis, quæ in multiloquio deesse non possunt. Neque verò solùm in multiloquio quandoque vitium (puta eloquium malum & pravum intercurrit) sed *ipsum multum loqui* vitium & vitiosum est, quamvis non mala loquaris. Certè id confirmare videtur ipse Christus Dominus dicens : *Sit autem sermo vester : est, est, non, non* ; *quod de reliquo est, à malo est.* Ecce quām parum velit nos loqui Christus, & nullatenus amare multiloquiū.

Accedunt & alia motiva, quibus moveri Religiosus possit ad vitium excessivæ loquacitatis, seu garrulitatis & multiloquij extirpandum & Instrumentum hoc exactè observandum. Plutarchus de hoc vitio loquens, ait : *Aliorum vitiorum alia sunt periculosa,*

alia odiosa, alia denique, ridicula : Ast in garrulitate hæc simul insunt : periculosa enim est, odiosa est, ridicula est; five periculi, odij, aut irrisiois contemptusque est pa-rens. Periclitantur enim imprimis loquaces de pec-
cato, quod (ut diximus) non deest in multiloquio : Præterea odium incurunt multiloqui, tum a-pud DEUM, tum apud homines : apud DEUM qui-dem ratione vitij annexi, vel intercurrentis peccati : apud homines verò ratione tædij, quo à loquacibus af-ficiuntur. Teste enim Plutarcho, imò & experientiâ teste plerumque, homines garrulo terga vertunt, & dum vel procul adventantem garrulum aspexerint, disce-dere parant ; Demùm ridiculi sunt, quos irrideri sæpe sæpius seu in præsentia seu in eorum absentia & post discessum videmus, dum eorum dicta & dictoria ad limam, ad lancem, ad lydium lapidem revocantur, & hujusmodi garruli ac nugivendi, ultrà quam putent, exibilantur, exploduntur, subsannantur. Addit præ-terea citatus Author. Loquaces præ alijs vitiosis esse infelices in hoc, quod, cum cætera vitia, v. g. avaritia, ambitio, libido facile consequantur, quod expetunt, solis garrulis ægrè obtingat, quod anhelant. Affectant enim audiri, & exinde amari, laudari, æstimari, & ra-gos tamen inveniunt, qui aures præbent, nisi fortè in-vitas ; rariores, qui ament, rarissimos qui laudent, aut magni æstiment.

Præter hæc omnia vitandæ loquacitatis motivæ speciale motivum habuisse videtur S. P. B. amore multiloquij interdicendi, nimirum : quia fervor pie-tatis & studium perfectionis, multòque magis ipsa perfectio remittitur, retunditur, impeditur : Sicut enim clibanus accensus tam diu calorem servat, quam diu clausus servatur ; apertus verò sensim calorem amit, tepescit, frigescit : ita similiter Religiosus devotio-nis ignem, & spiritus fervorem facili negotio tuetur & servat, quam diu os suum custoditum servat, nec ad multi-

multiloquium aperit, & diducit; ubi verò ore patulo spiritum loquendo ultrà emittit, quid mirum, si per multiloquium multo pietatis fervore & spiritu Religioso evanescere tepeſcat, languescat, & demùm frigescat Religiosus. Ex quo vel maximè patet, quām necessaria sit hujusmodi coērcitio loquacitatis, illis qui perfectionis & profectū assidui studio & desiderio teneantur.

Hinc qui multiloquio deditus est, tantò minus comprobatur esse deditus studio perfectionis. Nam (ut quidam Asceta ait) sicut dolium vini percussum, si multùm altequé resonet, prodit se parum aut nihil vini continere, ita Religiosus in levia & vana verba assiduamque garrulitatem prorumpens prodit se parum Religiosi spiritus, parum perfectionis, parum virtutis possidere.

Sed quæres, quā ratione garrulitatis vitium tollam? ego ex natura hoc habeo, quòd libenter sim inter homines, libenter converser, &c. ? Respondeo: tolles hoc vitium facile cum appendicibus suis, si securim posueris ad radicem, sive si garrulitatis radicem sustuleris & amputaveris, quam indicat Gersen noster lib. I. cap. 10. dicens: *Ideò tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari querimus, & cor diversis fatigationibus pressum optamus relevare, & malum libenter de his (quæ multion diligitus, aut cupimus, vel certè etiam que nobis contraria sentimus) loqui libet.* Stude ergò nihil aliud querere, & amare, nisi DEUM, & sanctum beneplacitum ejus; & nihil contrarium sit nisi peccatum. Quòd si hoc feceris, omnem garrulitatis, multiloquij & filiarum ejus originem ac radicem sustulisti. Mezler: de garrulitate ait:

Cur ita dulce loqui est, & inanes volvere nugas,

Pernicies cùm sit pessima garrulitas.

Vivere secura quoties in pace liceret?

Nil (quid agans alij?) frigida cura foret.

Hanc ergo radicem eradicemus, & plurima vitia eradicâst. Igitur circa hujus Instrumenti observantiam examina te primò, an curiosus sis, indagando de rebus ad te non pertinentibus, quæ ijs, quæ à secularibus, vel à Confratribus extra Monasterium degentibus, hic, isthic, illic geruntur? Secundò: an non aliàs plus æquo loquaris & sola vox, quæ plerumque audiatur, tua sit? an suo tempore silentium accurate observes, seu an silentium ames?

Pertinet enim ad hoc Instrumentum vel maxime sacri silentij Regularis exacta observantia, id enim qui observat, jam ipso facto multum loqui non amat. Porro circa ea, quæ observantiam Religiosæ taciturnitatis seu Regularis silentij concernunt, sequentia varijs in locis Regulæ præcipit S. P. Benedictus; & imprimis capite 6. ait: *De bonis etiam & sanctis ad edificationem eloquij propter taciturnitatis gravitatem interdum tacendum esse: ac etiam perfectis discipulis raram concedi debere loquendi facultatem;* Item: *loqui & docere non nisi Magistro, facere & audire discipulo convenire.* Mandat insuper capite 7. gradu II. Usq; ad interrogationem non loqui: & si tunc vel alid loquendum, leniter & sine risu, humiliter & cum gravitate, vult verba proferri, & quidem non nisi pauca, & ea rationabilia; de reliquo omni tempore silentio debere studere Monachum; Ita expressè S. P. capite 42. In cuius sacri silentij ulteriore commendationem ait Anselmus Bisldigr: 9. num: 6. *Prater S. P. Benedictum, aliosq; Religiosissimos Patres, post vota solemnia & consveta, pro præcipua lege sanxisse sacram silentium;* ita ut qui illud (per paucissima licet verba, ac vix intelligibili voce) fregissent, proclamata in Capitulo cuipâ, detraictisq; dorso vestibus, prostrati in terram acris disciplinâ vapularent. Hæc ille de rigore & vigore sacri silentij pro illo tempore; Et addit interrogans: *Ubi modò tales sanctissimi Canobites?* ubi modò Humberti Igniacenses Abbates: prout in illo nullus

nullus licet curiosissimus observator vel unici verbuli ociose loquacitatem deprehendere potuit. Ubi nunc Rudolphi cognomento tacentes, prout fuit ille, qui continuos sedecim annos cum nullo mortalium locutus, orto gravi incendio in suo Monasterio, post desperatam quamcumque extinguenti industriam, tandem urgente necessitate in hæc verba prorupit: *Sees ignis in hac hora.* Et en (miraculose Deo, assidue taciturnitatis meritum approbante) senvientem ignem compescuit. Accedat & viris silentij amantibus, de loquaciori sexu Beata Agnes Bellopratenfis, Monialis Ordinis Nostri; cuius ab ore nullum unquam verbum auditum, quod ad DEI honorem & ædificationem audientium non cederet. De cæterò silentio vacabat perpetuo. Potuit ergo sibi tam longo tempore Rudolphus ille tacens, potuit lingvæ suæ B. Agnes imperare, potuit S. Benno Ord: N. Abbas etiam ranis coxantibus, suamque ingrato clamore orationem interturbantibus, arctum & altum silentium indicere? & hoc impetrare non possit S. Benedictus Pater? toties sacri inculcans amorem silentij, ut multum loqui non amantes (saltem temporibus, & locis prohibitis) a garritatibus & vaniloquijs lingvas & ora moderaremur. Hæc fermè citatus Author.

Hæstenus in hanc rem refert pag: 208. miram historiam de duobus Monachis, qui ad violandum silentium nullis tormentis adigi potuerunt, malentes ab hostibus dirè torqueri, & demùm occidi, quam à sacræ Regulæ silentio præscripto recedere: quam historiâ fusiis relata ex vita S. Oddonis lib: 2. subjungit verba hujusmodi: *Si hi fratres, cum cæderentur & ab hostibus funderentur, silentium verbo rumpere noluere, illi qui nullam vim patiuntur, nec ab ullo coacti, sed sua sponte Regulæ jura transgrediuntur, quid dicturi sunt in iudicio?* &c. Ubi etiam aliud exemplum addit de alio Religioso, permittente potius auferre equum, quam ut nocturnum violaret silentium. *Digna sunt hæc (ait)*

quæ nos pro loco & tempore (addo & pro discretione saltem) imitemur. Addo & illud Gersonis Cancellarij Parisiensis dicentis: Clarum esse, quod ubi hac censura silentij servatur arctius, ibi Religio vigeat laudabilius & perfectius. Hæc Gerson apud Hæst. apud quem plura vide verbo silentium. Vide etiam Lancicium To: I. opusculo 5. num. 46. per totum; ubi multa in commendationem Monastici silentij adducit paginâ 347.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Non esse loquacem, nec per multam loquacitatem querere humnam (quæ nulla est) consolationem.

2. Nulli rei inordinatum affectum addicere, aut inordinate amare, occasione cuius contingat multum & sœpè de ea loqui.

3. Contrarietatibus nunquam ita dejici, ut multum de contrarijs, de adversarijs, aut adversis loquaris.

4. Nihil aliud amare & querere, nisi DEUM, & sanctum beneplacitum ejus, & nihil reputare contrarium & difficile, nisi peccatum, & sic omnis garrulitatis ansa facilè erit sublata.

5. Non curiosè indagare de rebies ad te non pertinentibus.

6. In conversationibus, confabulationibus, convivijs, non vox tua solius sit, sed libenter audias, quam loquaris.

7. Silentium statuto tempore & loco exactè observare.

8. De bonis etiam, & quæ ad ædificationem sunt, colloquijs, propter taciturnitatis gravitatem interdum abstinere.

9. Præfente Magistro, sive Superiore, Seniore, aut aliâs viro honoratiore non præripere verba & ansam loquendi, sed exspectare, ut ipse dicat, si quid occurrat dicendum.

10. Ante interrogationem non facilè loqui, neq; ad interrogationem semper, nisi ipse specialiter interrogaris, non verò præoccupare alterum respondendo, quod alius respondere posset, aut deberet.

11. Si fortè loquendum est, non nisi pasca, & rationabilia verba loqui.

12. Non loqui, nisi quando id ad DEI gloriam & edificationem audientium cedit.

13. Principue non multum loqui de ijs, quæ vel in laudem propriam, vel aliorum vilipensionem cedunt; item nec de offensis, aut injurijs ab aliquo illatis, multum & libenter loqui, sed corde tacito conservare patientiane. Vide an hæc feceris, aut in quo defeceris.

INSTRUMENTUM LIV. Verba vana & risui apta non loqui.

Hoc Instrumentum continet undecimum humilitatis gradum ex cap. 7. Regulæ, sic se habentem: Undecimus humilitatis gradus est, si (cum loquitur Monachus) leniter & sine risu, humiliiter & cum gravitate (NB.) loquatur vel pauca verba & rationabilia, NB. & non sit clamorius in voce: Ita S. Legislator ibi. In hæc verba Gerardus: Nunquam insultiores joci (quantumvis lepidissimi) sunt, quam in ore Monachi! quid enim indignius aut abominabilius, quam in vestitu tam lugubri gestus inimici? mores simi? Quid ineptius, quam in lugubri habitu risui aptata & affectata verba eloqui? Hæc ferè ille.

Conjungit autem hic S. P. Benedictus verba vana & risum moventia; tum quia plerumque verba vana risui apta sunt, tum quia verba risui apta plerumq; verba vana sunt. Itaque hoc Instrumento prohibet S. Pater non solum verba ociosa, prout definiuntur à Theologis, quæ vel pia utilitate vel iusta necessitate carrent; vel: quæ nec proferenti, nec auditori profunti. Qualia sine dubio vana sunt, sed vel maxime etiam prohibet scurrilia, ludrica, inepta, seu scurriles ineptias, &

ineptas scurrilitates, anilesque fabulas, quibus risus concitari solet, seu quibus nihil nisi risus aut irrisio debetur; cum Monachi non nisi seria, gravia, cœlestia professi, non nisi talia effari, & ad talia os aperire deberent. Quod si ergo DEUS ab ore secularium quæcunque vaniloquia penitus proscribit dicens: *De omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij;* quid fiet de Religiosis, qui præter verba mere ociosa & vana, sales sine sale, facetas non pias, discursus scurriles, leves, iudicos miscent, & ipsos fortè homines seculares, verborum levitate excedunt (ut ait Stengelius consideratione in Regulam c. 54. pun. 2.) inconditos edunt clamores, altissimos eructant cachinos; falaces jocos, dictoria iudicra, trivialia opificiorum proverbia proferunt ad omnis levitatis complementum.

O Religiose! Religiosus es? Monachus es? cucullatus es? (inquit S. Chrysostomus:) veste indutus lugubri? quid tibi cum vanis & risum moventibus verbis? Quid tibi cum mundi vanitatibus, qui mundo mortuus es? Nunc tempus plangendi non ridendi est, tempus tribulationum & lamentationum; tu vero jocaris, nugaris, levipati vacas? Quis Athletarum stadium ingressus, relictæ solitudine cum Adversario certandi, facetijs & jocis uititur? ijsq; tempus terit? Instat diabolus, circuit rugiens, ut devoret te, & tu sedes facetias effundens, quæq; stulta sunt, & ad rem non faciunt, effutiens? Non hac est Monachorum, non Sanctorum conversatio. Audi Paulum dicentem: per triennium noctes & dies non cessavi eum lacrymis monens unumquemq; destrum, &c. Pro Ephesijs tanta uititur solitudine Paulus, non facetias loqueas, sed cum lacrymis unumquemq; monens, lacrymans die ac nocte; Et tu pro te ipso, pro anima tua miserans sollicitus plerumq; jocaris, nugaris, rides? Belli nuntius tempus est, & tu, qua tripudiantium sunt, usurpas? Hæc & plura alia S. Chrysostomus apud Lancic: To. I. pag:

406. Colum: I. Lege (rogo) textum illum uti longissimum sic & pulcherrimum, lege item alia (si placet) quæ affert Lanc: pag: 408. num: 178. per totum. Ubi ait : magnopere vitanda est scurrilitas, seu sermo scurrilis, & ineptè jocosus , quia teste Aristotele : *Quæ ridiculis excedunt, scurræ esse videntur.* Religiosum autem scurram esse, proh quantum opprobrium, quantum nefas ! Vide inquam hæc & plura apud citatum Authorem loco citato.

Denique ad fugienda verba vana & risui apta, exemplo tibi sit S. Mechtildis V. Abbatissa (ex Menol. Bened. 6. Julij) quæ unicum semel vanum verbulum (quod ore ejus temerè exciderat) multis lacrymis & jejunijs expiare conata est, nunquam totâ vitâ ridere visa , nisi dum vitam cum morte ex hac lacrymarum valle egressura commutavit ; quando nimis Deiparam Virginem moritura sibi præsentem vidit. Offerabant circumstantes Sanctimoniales conspectui ejus Deiparæ imaginem, in quam oculos desigeret ; ast illa iconem manu avertens, in ipsum rectius prototypon (MARIAM personaliter præsentem) oculos desigere maluit ; eamque Angeli verbis amantissime salutans, *Ave Maria dixit.* Inque verbis *Benedicta tu, roseo colore fulgens,* ridensque ex hac lacrymarum valle decessit, totâ (ut dixi) vitâ nunquam alias risisse visa. Usque adeò hoc Instrumentum ei cordi fuerat, *verba vana aut risui apta non loqui,* nec ridere ad talia.

Igitur ex mente S. P. B. & exemplo S. Mechtildis proferenda sunt verba non vana, sed proficia, sed sacra, sed spiritualia ; non risui apta, sed ædificationi, profectui, & virtuti ; juxta illud Gersenis : *Tu autem cum loquendum es, quæ ædificationis sunt, loquere.* Quæ ædificationis sunt, quæ eruditionis sunt, quæ eloquia sacra, quæ spiritualia, quæ Deo accepta sunt, loquere. His discursibus (non vanis) Religiosi abundant, monente id B. Magdalena de Fazzis. Cui DEUS in rapta dixit :

dixit: Sicut qui vinum copiosè biberunt, eruclant vinum, sic anima, Christi amore inebriata, eruclat ex ore divinae laudes, gratiarum actiones, &c. Et prævehementia amoris, qui regnat in corde ejus, prorumpit lingua in verba sancta ad ædificationem proximi, & quidquid dicit, retundat in honorem DEI, & utilitatem animarum. Hæc Magdalena de Pazzis. Denique talia verba loquatus Religiosus oportet, prout S. Petrus primos Christianos monuit: Si quis loquitur, quasi sermones DEI loquatur. I. Pet: 4. Vel (ut Gersen noster lib. I. cap. 10. monuit) si loqui licet, & expedit, que ædificabilia sunt, loquere. Juvat non parum ad profectum spiritualiæ de vota spiritualium rerum collatio, maximè ubi pares animo & spiritu in DEO sibi sociantur. Idipsum est, quod Apostolus monuit Ephef: 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed bonus ad ædificationem, ut det gratiam audientibus. Et Ecclës: 6. Bonus homo de thesauro cordis profert bonum. Vis bonus homo, bonus Religiosus videri aut potius esse? bonum profert (non vanum) sermonem, alias te ipsum prodis, quod vanus sis.

Efficaciam & utilitatem Religiosi discursus (misso vano & ridiculo) ponderavit Gerardus Bel: medit: super ser: 2. Paschæ, in illa verba de discipulis in Emmaus: Et ipsi coegerunt eum, &c. sic loquens: Hoc duo (tres) possent in DEO congregati; facere nimiriū Deian juris sui. Ecce qui diligit DEUM, qui toto corde quærit Dominum, ecce certum inveniendi medium, ecce felicem cogendi modum, ut maneat vobiscum. Ecce quem neq; sponsa in lectione, discipuli reperiunt in colloquio! & quomodo poteris de præsentia & mansione dubitare, qui ita se suadet ingerere? quomodo vero poteris Religiose (Christi Discipule) aliena unquam loqui, quam ut ille possit interloqui atque una in discursu sociari, conversari, recreari? Sic certè Benedictus, sic Scholastica in Domino congregati fecerunt DEUM juris sui: cum dili-

diligerent DÉUM, cumque toto corde quærerent, arripuerunt hoc ipsum præsentaneum inveniendi medium & cogendi modum, ut quantocytus DEUS maneret cum illis, aut potius illi cum DEO in cœlis. Et quem non invenit Sponsa in lectulo, Scholaſtica cum Benedicto Fratre invenit in colloquio. Rem totam sequens historia declarabit.

Sanctissimi P. Benedicti, sanctissima soror Scholaſtica, ad eum semel per annum venire conſeverat, (ut loquitur Greg:) quadam ergo die convenerunt ex more, totumque diem in DEI laudibus sacrisque colloqijs ducentes, sole jam occidente cibus sumendus erat corporibus, jam antè lautè pastis refeſtisque cœlesti colloquio animis. Sed & ad mensam corporalibus cibis cibi intermixti fuere spirituales, cibi cœlestes, nempe non vani (ut in alijs comedientibus alijs fieri solet) sed facri sermones, quia ut Magnus Gregorius testatur: *Cum adhuc ad mensam federent, & inter sacra colloquia, NB. tardior se hora protraberet, eadem Sanctimonialis fœmina eum rogavit dicens: Quæſo te, ut ista nocte me non deferas, ut usque manè de cœlesti vitæ gaudijs loquamur. NB.* Advertisne Religioſe, qualia esse debant Monachorum colloquia, nimirum spiritualia, pia, sancta, de rebus Divinis, cœlestibus, sanctis, non vanis, & risui aptis, aut risu dignis. O magnum in Virgine Scholaſtica facrorum colloquiorum & spiritualium discursuum desiderium! quæ colloqijs non vanis sed facris, non risum moventibus sed fletum, sed compunctionem, & desiderium sanctum accentibus totâ die protractis, adhuc desiderat totâ nocte usque manè de æternæ vitæ gaudijs conversari! quo spirituali colloquio DÉUM sic fecit quodammodo juris sui, ut cogeret eum manere secum, aut potius animam ejus accipere ad se penitus. Quippe tribus post diebus in columbæ candidæ specie merebatur S. Scholaſtica cœli ſeceta penetrare, ubi (quia in terris tam liberter

benter locuta est, & loqui audivit de rebus Divinis, non vanis, mundanis, ridiculis) nunc audit, audietque æternū in cœlis arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quam etiam paulò post (vix nimirum Mense intercurrente) S. P. Benedictus est secutus. Miraris Lector? quod tam citò ad audienda secreta cœlestia, & intelligenda arcana DEI fuerint ambo evocati & admissi? Nil mirum est, dudum enim id Christus promisit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine suo, inter eos se quoq; futurum; abfuturum autem, ubi congregati fuerint in nomine mundi, vanitatis, levitatis, &c.* Ut igitur constanter inter eos & cum eis esset Christus, ad se, ad cœli pallatia ambos evocavit.

Placet in hujus Argumenti confirmationem referre, quæ in Anno Mariano Benedictino referuntur. Febr: de S. Iulio Episcopo: fuisse hunc nobilem juvenem, liberalibus disciplinis optimè imbutum, qui, dum solitariæ vitæ desiderium animo concepisset, de latus ad Theologicense Cœnobium in monte Vogeto fortunâ fuerat. Huic Monasterio nomen erat Theologensi à Monachis Theologis, eò quod hi in quovis congressu, conversatione, discursu non alios, quam de DEO & rebus divinis sermones facerent, nunquam vanos, aut risui aptos. Hæc sanctior eorum Theologia fuerat (quales Theologi esse Monachi omnino omnes possent, imò deberent.) Excipitur in hoc Theologensi Monasterio Paulus humanissimè, & ad Wandelinum Abbatem ducitur. Hic pro more illius Monasterij sacra statim incipit niscere colloquia, num Eremitica, num Monastica vita præferenda videatur? præferendam putabat Eremiticam Paulus, Cœnobitem commendabat Wandelinus, vicitque hic post multa ultrò citroque habita colloquia, & nutantem antea juvenis animum, in sua castra pertrahit. Paulus igitur in Theologienium cœtum receptus, tantus evasit Theologus, ut cœlestium contemplationi virtutum

iutum praxim & cœlestia etiam prodigia jungeret ; donec septuagenario major, ad tertium cœlum cum Apostolo Paulo abiit ; ubi pro sacrorum colloquiorum fructu & præmio nunc audit arcana verba, quæ non licet homini loqui, hoc est talia præmia recipit, iuæ nec oculus vidit, & talia verba, quæ nec auris aulavit.

Quod si & tibi Religiose placeat olim seu cum Paulo Apostolo, seu cum Paulo Episcopo ad tertium usque cœlum abripi, seu denique cum S. Scholastica & Benedicto celerius cœli secreta penetrare, & audire illi licet : quæ nec lingua valet dicere, nec litera exprimeret, nunc quoque missis vanis colloquijs (hominibus risum, sed stomachum superis moventibus) de DEO, & rebus divinis libenter loquere & audi : prout quoniam secere antiqui Monachi, præsertim illi, Theologundi. Sed eheu quād dolendum est, quod dum

Navita de ventis, de tauris narrat arator,

Enumerat miles vulnera, pastor oves.

Dum inquam quilibet pro conditione sua de rebus suis conditioni consentaneis libenter loquitur, solus Religiosus illibenter loquatur de rebus Religiosis ? & DEI servus parum aut raro loqui, vel etiam audire loquentem velit de DEO & DEI sevitio ? Unde quæfio est, quod homo Religiosus, homo spiritualis, vanitatis contemptor, mundi calcator libertius loquatur, & audiat de rebus vanis, mundanis, inanibus, quæ nihil ad ipsum, quād de spiritualibus, cœlestibus, Divinis, quæ sunt ad ipsum ? Certè si ex abundantia cordis ostenditur, ut Scriptura testatur, talis prodit se ipsum Religioso spiritu esse vacuum, vanitate autem & levitate plenum. Apostoli certè : dum repleti sunt omnes Spiritu Sancto, cœperunt loqui (ait Ecclesia) sed quid loqui cœperunt ? magnalia DEI ; Religiosus ergo si magnalia DEI non libenter loquitur, sed magnalia mundi potius & vana somnia, vana omnia, nunquid non si-

gnūm est, eum spiritu Religioso vacūm esse? non esse
repletū & plenū Spiritu Sancto? Examen sit, nūc
libenter de DEO loquaris? libenter de DEO, de rebus spi-
ritualib[us] discursum moveas, & promoteas? an verò
multò libentius de vanis, & profanis rebus, de novis? &c.
& si quid corrigendum est, emenda.

Huc etiam pertinet fuga non tam verborum,
quād factorum scurrilium & risui aptorum, quæ Reli-
giose modestiæ, gravitatiæ aduersantur. Seria &
serios amant Superi: ludicra & ludicros, scurrilia &
scurras, nugivendos & nugas, non solum in verbis, sed
multò magis in factis & gestibus, Superi etiam in pue-
ris aversantur, quantò magis in viris, ijsque Religio-
sis? In vita S. Anscharij Nostri legere est die 3. Febru-
quòd is adhuc puer, cùm sui similibus puerilia tractans,
jocis & nugis lusibusque puerilibus gaudens, à Deipara
Virgine reprehensus fuerit de vanitate & levitate sua,
atque ad altiora negotia & studia evocatus. Paruit is
quantocyùs; & cùm vanitatem crepundijs, totum
mundum ceu pilam abjiciens, ad Corbeienses Mona-
chos se contulit, ubi maturioribus moribus assuetus,
agere & loqui didicit non ea, quæ risum moverent,
sed quæ ad ædificationem & summam admirationem
essent omnibus; omniumque iudicio dignus est ha-
bitus, ut alios ipse quoque eruditet, & doceret seria fa-
lutis negotia seriò tractare, cogitare, loqui, missis pro-
cul nugis. *Annus Mar: Ben: 3. Febr:* Simile quid re-
fertur 20. Martij ibidem de S. Cuthberto Nostro, quem
similiter puerum inter pueros ludentem & crepundijs
tractantem triennis infans altiori instinctu instigatus,
seriò monuit, ne nugis & jocis, ut parvuli solent, se
occuparet. Audiit Cuthbertus pueri non puerile mo-
nitum, & contemptis crepundijs totum se deinceps
seriarum rerum, nempe cœlestium, studijs dedit, non
nisi feria cogitando, non nisi talia loquendo.

Si quæras, quænam sint ludicra illa ac levitates,
qui-

quibus solent pueri esse dediti, quæque forte in Anschario & Cuthberto minus placuerunt Superis. *W. ex Hermann: Hugone lib. 1. Gem. 2.*

* - - Dat senibus puerilius natio risum,
Dum fabricat luteas pardula turba casas.
Ludicra sollicitis servet Respublica curis,
Hic fœnum, hic paleas convehit, ille tristes.
Congerit hic gravido plumas & stramina plaustrum,
Hujus erit testa querere munus aquans.
En tibi! tum structa gratantur manibus Urbis,
Magnaq; se pueri regna locasse putant.
Hæc videt, ac ridet, quæ transfit grandior atque,
Vixq; graves sese virq; senexq; tenent. &c.

Hæc ergo sunt plerumque opera puerorum. Quod si hæc & similia (inepta, non inepta) nec in pueris tolerant Superi: quanto quæsto minus tolerabunt magis puerilia in viris, pueriles ludos cachinnos, nugas. Si ægræ ferunt Superi, dum pueri puerilia tractant, puerilia pueriliter fantur, verba risu digna & facta profarentes? in viris quomodo id non ægræ feret aether? præsertim ijs, quos DEUS aliis in Patres, Magistros aut exemplum virtutis destinavit: si tamen videat eos vanitati & levitati in verbis (aut quod deterius est) etiam in factis esse deditos? Certè si adhuc Propheta Reginis viveret, & viros Religiosos ineptijs, nugis, vanitatibus, levitatibus, crepundijs deditos conspiceret, tunc vel maxime (si unquam) clamaret ad DEUM: Averte oculos meos, ne videant omittitatem hanc intollerabilem in vanitatem contemptoribus, in viris, in Religiosis. Hi (si qui tales sunt) meminerint, & metuant illud Poëtae (Mezler: lib. 1. cap. 8.)

Nil faclu citius quam JESU M perdere amicum,
Abjicit hunc, vulgi ludicra quisquis amat.
Certè si verba vana & risum moventia æternâ clausura damnantur, quanto magis hujusmodi facta.

- Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Leniter
& sine risu, humiliter & cum gravitate loqui.
2. Verba loqui pauca & rationabilia, non vana &
risui apta.
3. Non loqui facile vel unquam talia, qua vel pi-
utilitate vel justâ necessitate carent, vel qua nec proferen-
ti nec audienti proficiunt.
4. Sales & facetias non pias, ante omnia fugere, ex-
emplo S. Mechtildis.
5. Libenter vel movere vel audire, & promovere
sanctos (& qui ad ædificationem sunt) discursus, etiam
inter convivia, exemplo S. Patris Benedicti, & Scho-
lasticae.
6. Non solum verba sed & facta vana & risum mo-
ventia, scurrilitates, nugacitates, & (ut ita dicam) pu-
trilia vitare, declinare, fugere.

INSTRUMENTUM LV.

Risum multum aut excussum non amare.

Duos Sapientes memorat antiquitas, quorum
alter semper & ad omnia risit, alter semper &
ad omnia flevit, nempe Democritus & Her-
aclitus. De quibus Owen: lib: 3. epigr: 146.

*Deficeret mores, si viveret Heraclitus,
Nostraq; rideret tempora Democritus.*

*Quanquam ad ridendum caras & inania mundi,
Splenis Democritus non satis unus habet.*

*Ad casus hominum lacrymarum rore rigandos
Heraclito oculi non satis ambo forent.*

Untrumque Poëta laudat, utriusque factum approbat.
Verè enim ridenda multa occurunt, imò universa
sermè hominum studia ridenda sunt; de quibus vide
Instrumentum XX, verbo: *S. Bernardus, & sequ.* Si
tamet

tamen hæc ridenda & non potius deflenda sint? Problema hoc movet ipse Poëta: Feceritne melius Democritus ad omnia hominum studia & casus ridendo, an Heraclitus ad omnia flendo? & sic decidit:

Floverat hic mundum, sed mundum riserat ille,

Melius ille quidem fecit, at hic melius.

Melius quoque Religiosus fecerit, si plus fletui quam risui indulgeat, ipsâ Scripturâ teste: Melius est ire ad domum lucis, quam ad domum convivij. Per domum lucis intelligit Chrysostomus Cœnobia Religiosorum. Verè (inquit) domus lucis Monasteria sunt, ubi cinti, ubi cilicium, ubi solitudo, ubi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus: Hæc ille. Quid aliud est Religiosus (inquit Hæstenus) quam mundo crucifixus & a crucifixo autem omnis risus absit, oportet. Christus (ut observavit S. Basilius) flevisse sæpè, risuisse nunquam legitur: hoc idem Chrysostomus afferit de Paulo Apostolo, & pluribus Sanctis apud Antonium Pereum in præsens Instrumentum. Usque adeò errant, (teste Libanio apud Hæstenum) qui ridere proprium hominis esse statuerunt, cui lacrymari & lamentari potius proprium esse censemur est. Nam fletu digna plerique omnes faciunt. Ridere autem uno tantum die oportet, quando mors nos evocat ex hac lacrymarum & misericordiarum valle: Hæc ille. Certè Ecclesia non tam risibilitatem quam fletibilitatem adscribit hominibus tanquam propriam: Intrent ut astra flebiles, cœli fenestra facta es; Quæ cum ita sint, haud immerito olim Abbas Joannes videns fratrem ad mensam ridentem flevit dicens: Quid putas, habet frater iste in corde suo? quia risit, cum debuisset magis flere. Ita habetur in vitis Patrum, Libro 5. libell: 3. num: 6. Et numero 13. aliud Senex alicui ridenti dixit: Rationem totius vita nostræ reddituri sumus Domino, & turides. (NB.) Huc etiam quadrare videtur illud Vatis:

*Fleres, si scires unum tua tempora mensem,
Rides, cum non sit, forsitan una dies.*

Cui consonat Mezlerus lib: I, de imit: Christi cap: 21.
Non ego te miror flentem, sed miror ovantem,

Si membror exilij sis aliquando tui?

*Vir bonus humana reputans discrimina mortis,
In promptu semper quod lacrymetur, habet.*

Inde forte est, quod S. Wolstanus Noster, Episcopus Wigorniensis, adeo risum omnem fuerit perosus, ut in Aula sua certos observatores constitueret, qui neminem impunè ridere sinerent, quin vel potu carere, qui riserat, vel serulæ ictum subire cogeretur. Menol: Bened: 19. Jan. Tanto rigore observavit & observari curavit à suis Instrumentum praesens S. Episcopus! Quid ni nos Religiosi faciamus idem, & risum saltem multum atque excussum non amemus?

Non enim prohibet S. Legislator pro discretione sua omnem risum, sed solùm multum risum & excussum, id est excessivum, immoderatum, immodestum: modestum vero & honestum, lenem & remissum minimè prohibet. Tripliciter vero potest risus esse excessivus, immoderatus & nimius. Primo ex frequentia. Secundo ex indelinentia. Tertio ex vehementia. Primi duo excessus per risum multum hic proscribuntur: intelligendo per risum inultum, imprimitus nō misfrequentem, nimisque facilem & repetitum, quasi ad res singulas: secundo intelligendo risum indelinentem, prout aliqui, dum ridere scinel incipiunt, vix autem vix quidem possunt amplius cessare, quod sane sine indecoro non fit. Hi ergo duo excessus præcaventur a S. Patre, dum risum multum prohibet: dum vero addit aut excussum; proscribit tertium in ridendo vitium, & excessum, consistentem in risu impetuoso, & cum vehementia elicto non sine indecoro strepitu & clara voce, contra id, quod Sapiens monet Eccli: 21. *Vir sapiens vix tacite ridebit: ubi non negat viro sapienti*

piensi risum omnem, sed facilem, seu levem, aut profusum, clamosum, strepitosum, de quo risu alibi dicit, esse stultorum proprium. *Sicutius* (itiquit) in risu exaltat vocem suam. Totum hoc videtur exprimere voluisse Epicetus in Enchiridio dicens : *risus non sit multus, neq; ob multa, neq; effusus.*

Cæterum risum levem (quem alijs subrisum vocant) seu vultum hilarem ipse etiam S. P. B. præsetulit. Nam teste Gregorio, vultu fuit placido, moribus decoratus Angelicis : ad vultus autem comitatem & gratiam pertinet, (teste Poëta) frons hilaris , seu quasi subridens, nam

Grata nec est facies, cui gelasinius abest.

Similiter de S. Romualdo in Breviario habetur, vultu adeo læto semper suisce, ut intuentes exhilararet. Vultus autem lactus non est, ubi mucus fletus, nullus omnino subrisus appetet. De S. Dominico expressè refertur : quod os ejus risu modestè persussum erat semper. De B. Friderico Monacho Einsidensi, & Abbe deinde Hirsauensi narratur, quod quidem solitudini, Deo que soli deditus maxime fuerit, ubi tamen cum hominibus erat agendum, mira comitate, suavitate, ac affabilitate mores condiebat, ut onerosus nulli, acceptus fuerit omnibus. Vide Ann: Mar: Ben: die 19. Febr. De S. Malachia testatur Bern: in vita ejus apud Hæc: Risus ejus index charitatis fuit, aut provocans charitatem, rarus tamen. Et ipse : Et quidem interdum eductus, excessus tamen nunquam. Qui ita nunciabat cordis latitiam, ut ori gratiam non minueret, sed augeret. Tamen modestus, ut levitatis non posset esse suspectus ; tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitia nave vel nubilo vendicare sufficeret. Hæc Bern. Quas conditiones si observaveris & tu, ride, per me licet, imo & per S. P. Benedictum licet, nihil contra hoc Instrumentum peccabis. De S. Fintano Bucelinus in Menol: 3. Janu: testatur, quod adeo miti & suavi fuerit ingenio, ita ut

nemo unquam eum iratum, aut commotum, sed neque mærentem intueretur; unus idemque semper fuit, cœlesti quodammodo vultu lætitiam præseserens. Sicut ergo viros sanctos non omnis omnino risus (honestus etiam & decorus) dedecet, sed cachinnatorius, excussus, immodestus, indiscretus, toto ore & pectore profusus, &c. qualis forte stultorum esse solet, juxta vulgare illud adagium :

Per risum multum poteris cognoscere stultum.

Ita nec Religiosis risum omnino omnem & vultus serenitatem inhibere voluit. S. Pater, sed risum immoderatum, indecorum, indiscretum, excessivum, &c. S. Basilius ait : *Cum modo labia diducere, eoq; animi sui diffusionem aliqualiter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum significetur, quod scriptum est, cor gaudens exhilarat faciem : in immanes autem cachinnos prorumpere, & corpore subsultare, nequaquam est ejus, qui animo composito est. Ut enim Salomon ait : *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Hæc Basilius. Et ex S. Bernardo ante allegato constat, risus si sit rarus & charitatis index, vel provocans charitatem, eductus potius quam excussus, nuncians cordis lætitiam, non minuens orationem, ita modestus, ut levitatis non sit suspectus, talis minimè indecorus, minimè Religioso prohibitus, sed concessus imò commendabilis & laudabilis est. Hunc modestum ridendi morem vocant alij subridere, puta in rebus honestis, licitis, & dignis. Nam (ut Clemens Alex: ait) oportet ipsum quoque subrisum castigari : ut debit in & cum circumstantijs fiat. Non nimis ob res turpes excitari pariter contingat, ad quas erubescere potius quam subridere deberemus ; ne videamur per consensum collætari, vel arridendo approbare turpiloquium. Deinde neque semper subridendum est (etsi alijs moderate) præsertim in præfentia Seniorum, Majorum, vel aliquorum, quos æ-*

quunt

quium sit tacendo revereri. Igitur attende : coram quibus, ubi, quando, & propter quid subridendum sit. Non enim apud quoslibet ridendum est, neque in omni loco, neque propter omnia : Hæc Clemens Alexan: In conspectu Imperatoris (ait Philo, addo ego) in conspectu Præfulis, Magnatis, Superioris, Viri eximij, &c. subridere quandoq; periculosem est, præterquam valde familiaribus. De lege ad Cajum. Certè subridere cum viri alterius honorati molestia non vacat vitio & culpa, si nimirūm is irrideri se putare possit. Examina hīc defectus tuos, & statue proponenda.

Manet ergo subritus quandoque & pro certis circumstantijs, licitus & concessus Religiosis ; risus autem multus, & excessus, semel pro semper Religioso prohibitus vi hujus Instrumenti est, & inconveniens, quia ut Gerardus ait : Quid turpius, quam Religiosum (qui personam Christi patientis referre, representare, & agere deberet) in theatro mundi, moribus incompositis, dissolutis clamoribus, & cachinnationibus actionem & personam suam dedecorare ? Hinc & Lancicius opusc: 12. num: 39. monet Superiores, ut summo studio attendant, ne etiam in recreatione sint risus nimij seu cachinni, aut vox clamosa, quæ etiam & distantibus, præsertim externis audiatur, utque initio sui officij & Superioratus (si tale quid advertant) moneant cikò excedentes, & si post admonitionem aliquis deliquerit, impunitus ne abeat. Hæc ille & plura. Solùm addo ex eodem : Si Abbas Joannes, videns fratrem ad mensam ridere, flevit, quid modo faceret, si videret ridentem Religiosum non tam ad mensam profanam, quam propè mensam sacram, propè aram : non tam in refectorio quam in choro ? non tam intercedendum & bibendum, quam inter psallendum, orandum, meditandum ? Specialiter ergo in Ecclesia & Choro proscribendus, imò proscriptus sit omnis ineptus risus. Certè S. Ferreolus Episcopus apud Hæften.

yag: 684. in Reg: cap: 24. gravem pœnam præscriptam in eos, qui in officio Divino, in choro vel Ecclesia loquuntur aut rident: *Hoc cunctos moveo* (inquit) mandando, utque constitutum; ut quotiescumque animabus DEO dicatis lectione opportune in Ecclesia vel refectorio, aut quolibet in loco publicè recitatur, nullus in risu aut moveatur, aut moveat. Quod si quis non custodierit, praesenti denuntiatione commonitus, triduani cum jejunij multatio castigetur, &c. Igitur caveat Religiosus, risum multum aut excussum amare, quem S. P. B. hoc loco prohibet & tam severâ multâ multatavit S. Ferreolus.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. In risu non esse excessivè facilem & effusum, quem tam severè S. P. B. interdixit, & Discipulus ejus S. Wolstanus Episcopus tam rigide castigavit etiam in secularibus.

2. Attendere, ne aut nimis frequenter, aut indesinenter, aut vehementer rideas: *Omnes enim hoc nimium vertitur in vitium,*

3. Ad res indecoras, turpas, luridas, ludicas, non tantum non videre, sed nec subridere quidem.

4. Coram Superioribus, Senioribus, & alijs, etiam in subridendo parcum esse & cautum, si forte subridere displicere possit, aut suspicionem movere, quasi ipsi irriterentur.

5. A risu abstinere, saltem in locis sacris, Choro, Oratorio, Ecclesia, imò & Refectorio. Vide, in quo defecris hastenus, & corrige, quæ corrigenda observaveris.

INSTRUMENTUM LVI. Lectiones sacras libenter audire.

Quod hic S. P. Benedictus, hoc alibi commonebat S. Hier: *Divinas Scripturas sepius lege, imò lelio sacra de manu tua nunquam deponatur.* Ubi nota, utrumque Sanctum Patrem inculcare nobis lectio-

lectionem sacram; non vanam, profanam, inutilem? Qaa in re errant, & contra praesens Instrumentum peccant, qui magis intenti sunt profanis legendis libellis, aut libris etiam scurrilibus, Indictis, prohibitis, noxijs & nocivis, quam sacris: qui spiritualern librum, librum Theologicum vel Casuisticum vix aut ne vix quidem dignantur aspicere, dum econtra profanos libenter volvunt atque revolvunt nocte dieque: comparabunt, aut procurabunt sibi magnam curam libros inutiles, libros vanos, profanos, Statisticos, historicos, poeticos, quodlibeticos, nugivendos; de spiritualibus legendis aut legi audiendis nulla cura est, nulla orexis. Nonne tales audire mereuntur, quod S. Hieronymus olim Ciceroni praetalijs libris deditus: Ciceronianus es, non Christianus. Politicus es, Statista es, fabulator es, &c. non Religiosus, non Monachus. Et quemadmodum oratoriae lectioni inordinate deditus ante fuerat S. Hicronymus, sic lectioni Poeticæ inordinate quondam addictus fuerat Noster S. Oddo Abbas; de quo legere est in Breviario, quod cum Virgilium libentius aut certe frequentius, quam alios libros sacros legeret, fructum lectionis ei Dominus in sonno ostenderit, dum Virgili loco, vas serpentibus plenum oculis & manibus ejus fuerat objectum, ex quo intelligeret, quem fructum ex lectione tam profani Authoris haberet; Quo visu territus coepit posthac lectionibus sacris tanto ferventius incumbere, quanto prius frequentius incumbebat profanis.

Paulus Barry in solitudine Hagiophylæ, Dic 4. Differ: I. narrat de quodam e Societate JESU, qui in Gallia Narbonensi morti proximus cum gemitu dicebat, & cum dicto gemebat: *Quid profuit Pindarum tanto studio pervoluisse?* quo nunc tot curiosæ lectiones itane prius evocor, quidm legerim eadem animi contentione ò affiditatem libros ad animæ salutem facientes, qui que in amore DEI inflammare me lectorum potuissent?

sent? Sed serò dolet, si quem post factum pœnitet actum. Ne serò idipsum doleas Religiose, dum tempus est, lectiones sacras, NB. (non vanas, non inutiles & ad rem, ad obligationem tuam, ad profectum non facientes) libenter audi, vel ipse lege. Superior es? ad rem & obligationem tuam faciunt libri, tractantes de regimine bono Religiosorum, non de regimine regnorum, Reipublicæ, bellorum, &c. Subditus es: ad rem tuam & obligationem faciunt libri spirituales de humili submissione, obedientiae promptitudine, profectu assiduo, tentationum aut passionum victoria, &c. Confessarius es? ad rem tuam faciunt Theologi, non immorigeri historici, Statistæ, Politici. (Uno verbo) Religiosus es? lectiones muneri tuo congruas de Religione tractantes audi libenter, non lectiones alias à scopo & fine tuo alienas. Quid ergò ille Superior? qui non librum, sed nec libellum attingit, aut attigit de regimine bono Religiosorum, vel de obligatione sua tractantem? Quid ille Confessarius? qui curâ susceptâ, examine exantlato nec libellum de confessione agentem multo tempore, imò forte nec multis annis aspicit? Quid ille Religiosus? qui spirituales lectiones parum curat? Certè hi non observant hoc instrumentum: lectiones sacras libenter audire.

Si te curiosorum delectat lectio librorum: pri-
mas faltem lectioni deferas spirituali: has libentius,
has frequentius, has attentius audias, legasve, quam
alias: præcedentiam faltem habeant lectiones sacrae,
quas hic S. P. B. commendat. Cæterum contra In-
strumentum hoc non agit, qui alias lectiones libenter
audit legitque, et si de se non sacras, si tamen fiant ex
sine sacro: tunc enim omnes hujusmodi lectiones, no-
titiæ & scientiæ ex hujusmodi intentione & fine san-
cto possunt dici sanctæ: Ubi verò finis unicus est eu-
giosis sciendi, pruritus discurrendi, ut possis videris
bene versatus in talibus libris, in rebus Politicis, &c.
que-

quomodo lectio talis sacra dici poterit, ubi finis vnu
zus est?

Sanctas lectiones vult S. Benedictus audiri liben-
ter: libenter inquam, id est cum desiderio proficien-
di, & gaudio solatioq; spirituali; non ex coactione
& consuetudine, non cum nausea & aversione; non
cum distractione & animi evagatione: libenter, id est
præ omnibus alijs non sacris. Deniq; libenter lectiones
sacras audire est eas audire non raro sed frequen-
ter, quantum fert consuetudo, comoditas vel occasio.

Porrò lectionis sacræ ipse S. P. Benedictus fuit amantissimus, studiosissimus, & adeò deditus, ut quando vel modicum temporis per ocium suppetebat, illud lectioni sacræ impendebat. Sic Galla ille Nationis Gotthicæ & Sectæ Arrianæ Tyrannus ad Monasterium S. Viri perveniens, eum ante ingressum Cellæ solum sedentem & legentem reperit, & dum tremefau-
et Galla ad terram corrueret, cervicemq; crudelitatem rigida ad ejus pedes inclinaret, seseq; orationibus ejus commendaret, (NB.) *Vir sanctus à lectione minime surrexit, sed vocatis Fratribus eum introrsus tolli jussit, &c.* Ita Greg: in vita S. Ben: cap: 31. Nonne hoc est lectioni sacræ addictum & intentum esse? Ecquis non libenter vellet lectiones obire sacras exemplo S. P. Benedi-
eti; si sacrarum lectionum multiplices & inexplicabiles fructus perpendat accuratius? Cardinalis Turre-
cremata in cap: 4. Regulæ S. P. Benedicti Tractatu 41. duodecim utilitates sanctæ lectionis enumerat. Hæc enim fructus bonorum operum multiplicat, intellectum illuminat, affectum inflamat, Christi amorem & Patriæ celestis desiderium accendit, debiles, infirmosq; contra tentationum insultus animat & armat. Daemonum infi-
dias detegit, sui cognitionem ingerit; suavem cum DEO conversationem efficit, animam spiritualiter reficit, seu spirituali refectione satiat, salutis remedia ostentat, & subministrat, consolationem in tribulatione praefstat, carnis desideria refranat.

Fructus (inquam) honorū operū multiplicat sacra lectio : est enim sacra lectio seu verbum DEI scriptum, semen illud fructiferum, quod cadens in terram hominam facit fructum centuplum, ut loquitur Christus Matt: 10. Intellectum illuminat : quod enim est lucerna pedibus, hoc lectio sacra seu verbum DEI est intellectui : *Lucerna pedibus meis verbum tuum (inq. it Psaltes) & lumen semitis meis :* Nam lectio (ait Isidorus) docet quid caveas, lectio ostendit, quid tendas. Affectionem inflammat, quia ignitum eloquium Verbum DEI vehementer. Habent hoc aliae lectiones, librique non facti, quod intellectum illuminent, non tamen accendent affectum : utrumque praestat lectio sacra, intellectum mentis erudit, & a mundi vanitatibus abstractum hominem, ad morem DEI perducit. Contra tentationes animat & armat infirmos & pusillanimos lectio sacra : dum enim narrat fortia gesta Sanctorum, ad imitationem provocat corda infirmorum, dumque illorum victricia arma commemorat, nosira etiam debilia confortat. Dæmonum insidias detegit, & sub cognitionem ingerit : Est enim sacra lectio, quasi speculum, in quo facile & ad vivum quis recognoscit se metipsum & insidiante dæmonem. Nam teste Gregor: *sacra lectio quasi speculum oculis mentis nostræ opponitur, dum interior nostra facies in ipsa vidatur.* Ibi sedata nostra & pulchra nostra cognoscimus : ibi advertimus, quantum proficimus, & a prosectori quam longe distemus ? Cum DEO conversari nos lectio sacra facit, ut spiritualia legendo, dicere cum Apostolo possimus : *Conversatio nostra in celis, conversatio nostra cum DEO est.* Nam in lectione sacra DEUS loquitur nobis; nosque vicissim per excitatos mentis affectus Deo. *Deum alloquimur* (ait Ambrosi) *dum oramus ; ipsum audiimus, cùm divina oracula legimus.* Et Isidorus: *Qui vult cum DEO esse, frequenter oret, & legat : nam cum oramus, ipse cum DEO loquimur, cùm vero legimus, nobis-*

cum loquitur. Animam spiritualiter reficit, & salutis remedia seu salutaria media subministrat adversus omnes vitiorum morbos & peccatorum vulnera lectio sacra: quia sacra lectio quasi Arca theca medicamina salutarium est quibus universi animorum morbi carentur. Consolationem in tribulatione praestat sacra lectio. Ideo enim viri pii, viri Religiosi, viri sancti, cum in tribulationem incidunt, mox ad spiritualem lumen quendam (puta Gersenem vel quemcunquam alium obvium) tanquam ad consolatorem, id est ad sacram lectionem, tanquam ad animi sui consolacionem pro tali circumstantia recurrent, & inveniunt, quod quaeunt, nempè abundans solatum. Carnalia desideria rescoenat; unde Hieronymus hortatur: *Ama sacras lectiones, & carnis delicias non amabis.* Denique corporem sacra lectio excutit, servorem foveat, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, vaniloquium, vanitatesque compescit, animum compungit, & lacrymas è compuncto corde producit. Hæc omnia praestat una unica sacra seu spiritualis lectio: quis ergo eam non colat, non amet, aestimet, frequentet? Vides, quantis bonis & fructibus se privet, qui lectiones sacras negligit, praterit, contemnit, & profanas præfere.

Procul dubio (ait in hunc locum Gerardus) qui lectionem sacram non diligit, convincitur DEUM minime diligere, cui fastidio est, dilectum alloqui, & alloquenti attendere. (Alludit autem Gerardus ad id, quod super diximus, dum oramus, Deo loquimur, dion sacra legimus, DEUS nobis loquitur.) Si autem Deum Religiosus ex corde diligit, lectionem sacram seu conversationem cum DEO cur fugit? Quid enim suavius amanti, quam audire quem diligit? quid desiderabilius, quam colloqui illi, quem audit? Verè autem loquitur Christus amanti animæ in sacra lectione, & hæc amorem suum reciprocè contestando ei loquitur in oratione. Ergo (conclusum est) Deum minime diligere convincitur, cui

cui fastidio est lectionem sacram audire, aut frequenter. Quem ergo diligit, qui lectionem vanam, mundanam, Politicam, Statisticam, jocosam, probrosam magis quam ullam sacram diligit, diligenterque frequentat? cum quo est conversatio ejus? nonne cum mundo, cum vanitate, Machiavello, Nasone, & alijs quorum libros tam libenter legit, praefertque libris Dei, libris sacris. Conjunx de viro absente (si eum ex unimo diligit) libenter audit, ubi, qualiter, quomodo se habeat, libenter nova de eo percipit & recognoscit. Minus si faciat anima Religiosa, DEI sponsa, si lectio-nes sacras de DEO & nova *sacra* non libenter audit, nunquid minus DEUM diligit?

Ex quibus habes, quam rite, quam recte Instrumentum hoc Religiosis S. P. Benedictus prescriperit, utpote tam fructuosum, tam utile, tam necessarium & unicum veri amoris in DEUM, veri amoris in spiritualem profectum signum. Omnis enim profectus sestis Isidore lib: 3. de summo Bono cap: 8. ex lectione & meditatione procedit, quae enim nescimus, lectione discimus, & quae lectione didicimus, meditatione conservamus. Est ergo lectio sacra ad aliquem perfectionis gradum aspiranti, unicè necessaria, dum quid desit quid adsit, quid obsit, quid prosit, quid facientur, quid fugiendum sit, demonstrat. Unde sicut D. Benedictus perfectionis & profectus discipulorum suorum vehementissimus amator & zelator fuit, ita lectioni sacrae eos libenter frequenterque merito insumbere voluit.

Nihilominus quia perfectio in auditu vel lectione sola spiritualium rerum minimè sita est, nisi lectio ni executio jungatur, & praxis eorum, quae lectio, & piè intellecta sunt. Idcirco ut ex frequentibus lectiōnibus sacris, quibus Religiosus interest, aut incumbit, fructus predictos reportet, opera sociare oportet lectioni, exequendo quod legit, & in effectum deduc-

cendo, quod deducendum agnovit : Alioquin solam intellectus sui curiositatem etiam in libris & lectionibus spiritualibus pascens, oleum & operam legendę perdit.

Ne igitur fine suo S. P. Benedictus in præscriptione hujus Instrumenti, & Religiosus fructu suo in lectione sacra, ipsaque lectio suo frustretur effectu, & invanum cedat alias minimè vana lectio , tres lector vel auditor lectionis sacræ conditiones servet oportets quas obiter attingit Poëta :

Non legito, ut sapias, sed ut emendatior extes.

Hoc (si multa legis) noveris esse caput.

Haud etenim verbi contingimus astra disertis.

Vivida sed virtus dat reperire DEUM.

Primò ergò præfigat sibi finem bonum, hanc iendi ex tali lectione utilitatem, fructum & profectum aliquem spiritualem, non spectando eloquentiam, curiositatem, aut ingeniositatem lectionis. 2. Ut sit paratus animo ad exequenda ea serio & sedulò, quæ sibi facienda audiatur, vel cognoverit. Adeoque ruminet, & disquiat breviter, quomodo & quando lecta in proxim re digere possit, aut velit. 3. Ut legendo non sit festinus, præceps aut nimius, quia minor exinde reportabitur fructus ; sed potius lectionem suam tacitam quædam & frequentiori interrogatione interrumpat, se ipsum simili modo alloquens : Quid ergò faciendum tibi posthac in hoc vel illo casu ? aut : quid fecisti haec tunc ? Visne huic posthac te conformare veritati ? hoc illud vē facere ? hoc, illud fugere ? &c. fiat inquam in & sub lectione, aut certe post illam talis reflexio ad præterita, & propositum pium DEO oblatum aut offerendum de futuris, quomodo nos in similibus gereremus. Et tunc erit operæ pretium lectioni sacræ diligentem navare operam.

Porro in lectione sacra fructuosè frequentanda, imitanda sunt volatilia cæli, quæ dum bibunt, & vix

paucas guttulas forbillando attraxerunt, statim collum, caputque in altum erigunt, & versus cœlum attollunt, sive erectos tollunt ad sydera vultus. Similiter Religiosus hancis lectisve aliquot bonis, utilibusque veritatibus spiritualibus, mentem ad DEUM erigit, sursum corda elevet, dolens vel gaudens de præteritis, & disponens proponensque futura. Hac ratione lectionem sacram libenter audire, est utique proficere de die in diem, & fructus innumeros reportare meritorum.

Quæres, cur S. P. B. dicat : lectionem sacram libenter audire, cur non dicit : libenter legere ; Respondeo, quia frequentior occurrit occasio lectiones hujusmodi audiendi, quam legendi. Lectiones enim sacras audire licet in choro, in omnibus tribus nocturnis : item lectiones breves, binas lectiones mense ad prandium & cœnam, lectionem collationis, &c. ita ut multis (occupatis in exterioribus negotijs) non suppetat tam frequens occasio legendi in propria persona lectiones spirituales tam frequenter : & tunc saltem haudiantur attentius. Cæterum dum svadet lectiones audire, quando audiri queunt, utique à fortiori etiam consulit legendas, à quo privatim legi possunt, prout alibi hortatur S. Pater, ut accipiantur codices ex Bibliotheca, & per ordinem legantur.

Quæres, quid magis profit, lectiones sacras an sacras exhortationes, conciones, Superiorum admonitiones, &c. libenter audire ? Problema hoc resolvit Philippus Francois Benedictinus in Reg. Emedull. cap. 14. dicens : Ecclesiastes seu vocales Concionatores, vel monitores alios (puta Superiores) ad manum & ad guttum semper habere non licet. Cum tamen spirituales libri ubique haberi queant ; hi autem muti quidam Concionatores sunt, qui subinde (& quidem frequenter) plus movent quam linguis illi & è catholis declamantes Prædicatores : & addit, multis præcul

cul dubio ille Candacis Reginæ Eunuchus (ut erat vir
salutis suæ studiosissimus) Jerosolymis & alibi con-
ciones audiverit, sed quæ parum illum moverant,
unica illum Haïæ Prophetæ lectio & ad baptismi gra-
tiam & ad cœli gloriam perduxit, ut videre est Acto-
rum 8. Magni Augustini conversio (licet adscribi
Ambrosianis concionibus soleat, & ex parte possit ac
debeat) debetur tamen potissimum lectioni in crædum
illi cœlitus inclinaretur: *Tolle, lege; tolle, lege.* Is e-
nīm cūm magnā esset eloquentia prædictus, jussu Con-
stantij Imperatoris Mediolani Rheticam profili s-
est, cui Urbi Episcopus præerat S. Ambrosius, cuius con-
ciones non tam discendæ veritatis, quam ornatæ (qua
pollebat Ambrosius) eloquentiae amore frequentave-
rat, nec exinde motus efficaciter adhuc fuerat; non-
dum satis erant ictus illi Verbi Divini (quantumvis
validi) ad abrumpenda vincula pravæ vitæ, & agen-
dam pœnitentiarn; sed suspirabat (ut ipse testatur)
ligatus adhuc non ferro alieno, sed sua ferreæ volun-
tate. In hortulum vero domesticum semel secedens
remotius à conspectu hominum, & sub quadam viæ
arbore sedens inter suspiria & lacrymas seie ipsum allo-
quebatur: Quām diu, quām diu? cras, cras? quare
non modò? quare non hac horâ finis turpitudinis
meæ? hæc dicens & ingemiscens, ecce audijt vocem
cantantis, & crebro repetentis: *Tolle, lege; tolle, lege;*
Augustinus attonitus, nesciens unde vox illa veniret,
cūm nullus mortalium in vicinia esset, aperuit, quem
habebat librum (erant Epistolæ S. Pauli) & legit id,
in quod primūm inciderant oculi, eratque hic textus:
*Non in commissationibus & ebrietatibus, non in cubili-
bus & impudicitijs, non in contentione & emulatione
possidetur regnum Cælorum.* (Rom: 13.) Et ecce statim
cum fine hujus brevis lectiunculæ, totus est mutatus
ab illo, qui fuit antè Augustinus: Excusso peccati ju-
go, cervicem leni jugo Christi, ut ipse asserit, subiicit.

Quid dicam de duobus illis præcipuis Theodosij Magni Ministris, de quibus Pexenfelder histor: 100. qui corporis & animi relaxandi causâ expatiantes, tandem æstui declinando ad Monasteriolum egenum divertebant, ingressi Cœnobium, paupertinam supellecilem pro otio circumspiciunt. Hic alter videt, & arripit langvidâ manu vitam Magni Antonij; hunc igitur libellum dum obiter aperit, legitque Magnum Antonium nobili fuisse genere natum, ad abdicacionem verò seculi ex Evangelij textu permotum: *Si v̄s perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & sequere me.* Matt: 13. Substituit non nihil lector, placuit generosa Antonij resolutio, moxque defixis in socium Aulicum oculis, & idipsum ei vel referens, vel prælgens, quod legisset, dixit: *Quæso te, quid ambiunt universi labores nostri? altius fastigiū omnis spes nostra non habet, quam gratiam Cæsaris, & hæc incerta est, aut si certa est, quam diu durat? Mundi mancipia sumus, & cum tempore diaboli Martyres sumus, & ubi ætatem, valitudinem, vires, vitam impenderimus Imperatorijs obsequijs, Aulæ negotijs, &c. quod deinde nobis præmium? Nullum.* Servus & minister DEI, amicus DEI, gratus DEO si fieri aut esse volo, nunc esse queo. Ergo servire posthac DEO mihi decretum est, idque hac ipsa hora, hoc ipso loco aggredior. Cui alter: *Comes ero tuus individuus, usque sequar te. Ex hac igitur lectione unica, eaque modicissima cœperunt vitam corrigere, bene vivere, id est DEO: sanctèque perseverarunt, & optimè finierunt.* Et quod magis mirum, Sponsas habebant ambo, quæ consilium hoc admiratae, & mutatione tali ipsæ quoque mutatae, devotâ DEO Virginitate, in cœlestes thalamos denupserunt. Hæc fermè citatus Author. Tantus est vel ex unica eaque vel modica lectione sacra fructus.

Taceo Ignatium Loyolam solâ spiritualis libri lectione conversum. De Eucherio Nostro Aurelianensi

Epi-

Episcopo quid dicam? qui cum adhuc juvenis, Marti se devovere decerneret, (generosâ indole ad bellicam gloriam, & in hoc ipso ad licentiosam vitam stimulante) in sacrum Scripturæ Divinæ codicem fortunâ incidit, & quidem in illa Apostoli verba: *Præterit figura hujus mundi*; cumque in lectione pergeret, subiit & alterum: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud DEUM*. Ecce sacram sacræ lectionis energiam! (usq; adeò paucis etiam in verbis sacræ lectionis latet Divini spiritus magna vis!) tactus repente illâ, quam intus sentiebat, Divinâ voce ceu fulmine Eucherius, abjecit arma, antequâm militiam assumeret, & in melioris (id est spiritualis) militiæ gloriosioris victoriæ, sanctioris vitæ auspicium, vinci se permisit, victasq; Numini manus dedit. Et Religiosæ militiæ tyrocinio quantocyùs se addicens, fundamenta tantarum victiarum, tantæque sanctitatis jecerat, qua postea floruit in Sanctorum numerum relatus, de quo lege Annum Mariano-Benedict: die 20. Febr: Qjæ omnia cum ita sint, an non meritò, an non jure lectioni sacræ jubemur & nos Religiosi libenter inhærent.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. *Res sacræ libenter legere, aut lectas audire, libentius & frequentius quam profana.*

2. *Legere sapè illos libros, qui sunt de re & obliga-
tione tua, de officio tuo, de bono & profectu tuo, &c.*

3. *Si quandoq; contingat profana legere, saltem legamus
ex fine non profano, sed sacro.*

4. *Ipsas lectiones sacras libenter audire cum deside-
rio proficiendi, gaudio & solatio spirituali.*

5. *Lectionibus sacris solerter attendere, sive in choro
sive in refectorio, vel alibi, &c.*

6. *In accessu ad lectionem sacram sibi prafigere bo-
num finem, hauriendi ex tali lectione utilitatem, fru-
tum, & profectum aliquem spirituali.*

7. Post lectionem ruminare breviter, quæ lecta sunt;
& disquirere quomodo in praxim sint redigenda.

8. Sub lectione vel post illam, mentem ad DEUM erige,
& sursum elevare cor, dolendo vel gaudendo de praeteritis,
& disponendo, proponendoq; futura. Vide, an ita
feceris, & posthac propone lectiones sacras libentius
audire.

INSTRUMENTUM LVII.

Orationi frequenter incumbere.

Post exhortationem ad sacras lectiones hortatus
nos S. P. Benedictus ad frequentes orationes, &
meritò quidem; non enim à sacra lectione in ultu-
m aliena est oratio, nec ab oratione lectio; sed una
alteri socia sit, oportet: & dum simul conjunctæ am-
bæ sunt, tum bene est. Qui enim frequentem & mu-
tuam vult habere cum DEO conversationem, non so-
lùm frequenter legere, sed & frequenter debet orare:
nam dum legimus, DEUS quidem nobiscum loqui-
tur, ast non nos cum Deo, nisi dum oramus; neque
etiam profectus noster ex lectione completur nisi or-
atione; lectione enim obtainemus, ut, quid agendum
quid fugiendum sit, sciamus: oratione autem fit, ut
quod scimus, id ipsum cum DEI adjutorio exequi pos-
simus. *Frequenter* verò, non *semper* orare jubet S. P.
Benedictus (ecce Regulam discretione præcipuum !)
cùm Paulus dicat: *Sine intermissione orate.* I. Thes: 5.
Et Jacobus cap: ultimo: *Multum valet deprecatione ju-
xta assidua.* Nec tamen sine intermissione, nec assidue nos
orare præcipit S. Præceptor Benedictus, nec exigit à no-
bis, ut cum Anna vidua ac Prophetissà Evangelicâ non
discedamus de templo, jejunijs, & obsecrationibus servire
nobis nocte ac die. (Lucæ 2.) Sed solummodo ut si non
semper, frequenter saltem orationi incumbamus.

Instrumenti hujus observantissimus fuit S. Theo-
gerus

gerus Abbas, inter preces à sensibus penitus alienus, terræque plerumq; affixus: hinc in facello malè sarto & tecto, orationis causâ humi jacentem, & nivibus cooperatum, fortè transiens quidam Monachus, putansque, se terram premere, ignarus Abbatem suum calcavit. Ex Anno Mar: 23. Decemb: De S. Matthæo Abate prius, dein Episcopo & Cardinali N. Ordinis legere est in An: Mar: 25. Decem: quòd orationi & contemplationi sic fuerit deditus, ut à templo & precibus divelli vix potuerit, adeò, ut hoc unum de eo Pontifex Maxim: quereretur, serius illum ad curiam venire: sed Matthæus haud ignorabat, maximum in rebus ex vota gerendis momentum facere, in divina Aula rem suam bene composuisse, & summi Regis gratiam conciliasse, à qua gerendorum omnium statera pendet. B. Ascelina Monialis S. Bernardo cognata tum sanguine tum Religione & sanctitate, ferias sextas, dies Sabathinos & Dominicos, aliosque, maximè D. Virginis festivos, mille plerumque Angelicis salutationibus expavit, sic orationi ardenter dedita, ut ipsi cum Matre ad Ecclesiam aspiranti fores sese ultro aperuerint. Ex An: Mar: 27. Decemb.

Si tamen ullus, certè S. P. B. orationi frequenter incumbebat; totas etiam noctes oratione transigen-do, Stylitarum prodigiosas stationes imitatus, nisi quòd columnas insistere in animum non induxit, sed impellente Numine pedes, manus, & animum ad suorum filiorum commoda transferebat, ut loquitur Bucelinus super *Instrumentum LVII. in additionibus suis ad Commentarium Gerardi in Regulam*: Nihil ergo fuit Benedicto frequentius, nihil usitatius, quam orare & ad orationes configere, quibus etiam frequenter immo semper, quod petijt, obtinuit. Sic fracto capisterio Benedictus Puer in orationem se dedit, & ab oratione surgens vas integrum reperit. Ex vita cap: I. Sic cum Placido quādam nocte rupem ascendens, ibique diu-

tius orans, oratione fontem è rupe elicuit, nunc usque
ubertim defluentem ab illo montis cacumine usq; ad
inferiora, ut loquitur S. Gregorius in vita cap: 5. Sic se-
dente super lapidem antiquo hoste adveniens S. Pater,
vix orationem fecit, & benedictionem dedit, jam tan-
ta celeritate lapis levatus est, ac si ponderis expers es-
set. Sic (ut parietis ruinâ contritum pueram resusci-
taret) orationi instantius quam solebat, incubuit; &
ecce mira res! cùdem horâ hunc incolumem atque
ut prius valentem ad eundem iterum laborem misit.
Ex vita cap: 11. Sic adducto ad te illo Aquinensis Ec-
clesiae Clerico, obfesso à Cœdæmonie, vix preces Do-
mino JESU Christo fundebat Benedictus, jam protinus
antiquum hostem de homine obfesso expulit. *Ex vita*
cap: 16. Sie cum Prophetico spiritu prænosceret fu-
turi sui Cœnobij excidium, orationi cum planctu in-
sistebat, donec id à DEO impetraret, ut saltem animæ
ex illo Monasterio è potestate & Tyrannide barbaro-
rum liberarentur, prout direpto quidem Monasterio
ne unum tamen Monachum comprehendere aut te-
nere barbari potuere. *Ex vita cap: 16.* Sic ut inopiam
illius pauperculi debitoris, duodecim solidos deben-
tis, sed (unde redderet) non habentis, sublevaret, bi-
duo more suo (ait Gregor: cap: 27.) in oratione fuit
occupatus, qua etiam non 12. solūm, sed plures soli-
dos impetravit. Sic deficiente oleo sese cum Fratribus
in orationem dedit, cumque Vir sanctus in oratione
persisteret, copit operimentum vacui prius dolij oleo
excrescente sublevari. *Cap: 29.* Sic orationis gratiâ
oratorium Sancti Joannis in ipsa montis celsitudine
situm adire solitus, oratione completâ rediens, mali-
gnum spiritum à Monacho quodam seniore repulit.
Ex vita cap: 30. Sic (ut rustico filium suum defun-
ctum restitueret) ad cœlum palmas tendens, & preces
breves fundens, vix in oratione verba compleverat,
regrediente anima cum Patri viventem atque incolu-
mem

mem protinus reddidit. Cap: 32. Sic instare vigilijs, nocturnæ orationis tempora prævenire, ad fenestram stare, & omnipotentem DEUM deprecari solitus, vidit insolitam lucem illam, quæ cunctas noctis tenebras effugaverat, adeò ut diem vinceret lux imò nox illa. Vedit etiam universum mundum sub uno solis radio collectum, vedit Germani Capuani Episcopi animam in sphœra ignea ab Angelis in cœlum ferri. Cap: 35. Adeò ergo orationi deditus, eiique tam libenter & frequenter incumbens in vita, non nisi orans in ipso oratorio mori voluit. Tunc (ut Gregorius loquitur cap: 37.) portari se in oratorium à Discipulis fecit, atque inter Discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & ultimum spiritum inter verba *orationis* efflavit. Sic ergo etiam Discipulos suos vivere, sic mori volens, vult & jubet hic S. P. Benedictus orationi frequenter incumbere.

Et certè juvat orationi frequenter incumbere, quia saltem quoties ingruit periculum seu animi, seu corporis, toties oratione fervente invocandum est Dei adjutorium: Quoties classicum insonat, & hostis provocat, scutum orationis est assumendum, quoties infestat miseria, toties invocanda est DEI misericordia. Quia ergo homo frequenter cunctis diebus, quibus nunc militat, multis repletur miserijs, multis & frequentibus periculis subjacet, multis & frequentissimis temptationibus impetratur & fatigatur, frequenter utiq; orandum, frequenter fatigandum precibus Numen est, ut nobis gratiæ suæ adjutorium jubeat impendi. Et quamvis oratio homini necessaria non esset ad opem ex alto divinitus impetrandam in necessitatibus nostris, quas mediante oratione DEO exponimus, nihilominus quia oratio est mentis ad Deum elevatio, & familiaris cum DEO collocutio ac conversatio (quo quid nobilior esse possit?) frequenter sanè orationi incumbendum est propter hujusmodi familiaris cum

DEO conversationis & adhæsionis excellentiam. Unde Aug: dicit: *Quisquis non orat DEUM, expers sanguinis est, nam hoc ipsum est evidenter signum damnitiae, non intelligere magnitudinem hujus honoris.* Quantò ergo amplius orationi incumbendum frequenter est, quæ non solum adeò excellens, adeò deliciosa est, sed insuper ad omnia utilis & necessaria, cujus efficacia necessitas, & utilitas in sexcentis planè effectibus luce meridianâ clarius resplendet.

Quid enim est, quod Dæmonem (hostem spiritualis) fugit? Oratio. Quid dæmonis machinationes & insidias infringit? Oratio. Quid diabolum retardat, detinet, captivat? Oratio. Quid diabolo circumventi & quærenti quem devoret, obsistit, ne devoret? Oratio. Quid corporalem seu terrenum hostem debellat, victoriam & palmam extorquet? Oratio. Quid animam à peccatis expurgat, & veniam impetrat? Oratio. Quid salutem confert corporis? Oratio. Quid vitam prolongat? Oratio. Haec ergo omnia operatur una eademque Oratio: dæmones fugat, tentationes sedat, dexteritatem diaboli retardat, os infernalis leonis obstruit & occludit, victoriam de terrenis hostibus procurat, DEUM placat, veniam impetrat, à peccatis expurgat, corporales infirmitates curat.

Quod oratio fuget Principes tenebrarū, certū est, quia certū genus dæmoniorum est, quod non ejicitur & fugatur, nisi in oratione & jejunio. Matt: 17. & Marci 9. Et ab uxore Tobiæ fugatus dæmon non fuerat, nisi per orationem Tobiæ. Quod si recenti exemplo rem firmari placeat, placet adducere id, quod currente seculo accidit. Nempe puella quædam Genuensis in gravem morbum mortisque articulum inciderat; ad quam invicendam pro zelo & pietate sua se conferebat devotissima illa Matrona Maria de Victoria, quæ An: 1604. Ordinem fœminarum DEO dicatarum instituit, quas Cæle-

Cœlestinas Annunciatas vocant. Hæc p̄ijssima Matrona ad ægram advolans invenit spectaculum prorsus miserandum, siquidem quartā jam die puella illa gestum infantis, aut certè extremè desperantis præferebat. Cui cùm exhiberetur Christus in cruce appensus, aversabatur illum, neque oculis intueri sustinebat, dumque jubebat Salvatorem suum unico saltem venerari osculo; os illa oculosque aut clausit pertinacissimè, aut in sacrostantam Crucifixi effigiem cum circumstantium ingenti scandalō expnit, ita ut omnibus indicijs indicaret, se aut extreme delirare, aut extreme desperasse, & ex tali desperatione odiisse Christum, ejusque effigiem. Maria ergo de Victoria altum ingemiscens, & orans pro misera, propius accedit ad illam; quā sic assistente propius atque orante, ægra sibi restituitur, & ab intemperijs illis liberatur. Cumq; sibi redditā interrogaretur, cur à Crucifixi imagine paulò antē sic abhorruerit; Respondit se nequam à Christo, aut Christi imagine, sed à Cacodæmonie, qui se formā metuenda spectabilem temper inter ipsam & Crucem interposuerat, omni conatu volens, ut loco Crucifixi se oscularetur, ob hoc dixit se tanto-pere abhoruisse, & vultum ab eo, non à Crucifixo avertisse, ejusq; in faciem expuissé, non in Crucifixum, eò quòd consentire dæmoni noluerit, sed omni vicissim conatu resistere ei studuerat; Nunc autem Victoriae precibus tentatorem infernalem fuisse abactum, & se tranquillitati Divinā gratiā restitutam asseverat. Obiit autem Maria de Victoria anno Christi 1617. die 15. Decemb: *Ex vita ejusdem.* En orationis efficaciam ad fugandum dæmonem, & tentationes sedandas. Porro qualiter S. Justina Virgo repetitis vicibus & dæmonem fugârit, & temptationem sedârit, machinationes & infidias dæmonis infregerit; diximus suprà Instrumento 49. Unde Isidorus ait: *Hoc est remedium i, qui victorum tentamentis effluat, ut quoties tentatione*

pulsatur, toties ad orationem configiat. Cum igitur frequenter satis hominem a dæmone infestari, tentarique contingat, frequenter oret oportet; quia si dæmones (inquit Chrysostomus lib: I. de orando Deum) nos conspiciunt deprecatione munitos, illicò resiliunt, non aliter quam facinorosi & pradones, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari.

Moverat Julianus Apostata contra Persas cum ingenti exercitu bellum, cumque is pro more suo ad discendas res absentes uteretur dæmone internuncio, expectabat audire nova ex illo, ab oriente ad occidentales plagas, sive ex Perside in Italiam propterea missio, ut referret, quid illic ageretur; interea fuerat internuncius ille Acharonticus delapsus ad locum, ubi Monachus quidam nomine Publius (orationibus ferventer incumbens) habitabat; Publius autem divinitus edoctus de malis eventuris, si iter & negotium suum diabolus instanter prosequeretur & exequeretur, ideoque in orationem se dedit, & oratione totum negotium irupedivit. Nam ad ejus preces (velut ad Remoram navis) coactus est Veredarius ille eodem in loco decem omnino diebus subsistere immobilis; nec poterat ultrà tendere, donec a continuatis diu nocturnaque precibus tandem remittendo, iter remetiri, & ad Julianum reverti permisus est, scilicet tardè nimis & sine effectu. Julianus moræ impatiens, moræ causam perquirit; Respondet Sathanas: iter suum a Publio Monacho retardatum esse, & ad ejus tugurium sibi tam diu consistendum cunctandumque fuisse, donec ille a precandi contentione remisisset. Inserviat hanc historiam Card: Turrec: in hunc Regulae locum ex vitiis Pastorum. Eandem refert Pexenfeld: histor: 107. Baron: ad annum Christi 363.

Johie suis precibus solem stare fecit; Ezechias eum retrocedere; Elias aquas in nabibus suspendit, & cum voluit, laxavit. Pari modo Cacodæmon (Juliani)

liani tabellarius > etiam invitus stare debuit, adeò suspensus & affixus loco, nempe juxta casulam Anachoretæ, ut ne per aërem quidem evadere, viamque suam peragere potuerit. Magna sane vis orationis ! quæ pauperem Monachum dæmoni formidabilem reddit, & superiorem efficit Principibus & Potestatibus tenebrarum ! Quidni igitur Religiosis frequenter orandum sit, ut diaboli dexteritatem fistant, & nocturna plura sua à se seu proximis avertant. Et quin id Religiosi precibus suis sèpè efficiant, aut efficere queant, quis dubitet.

Magnus Gregorius in Dialogis suis lib: 4. cap: 27. recenset adolescentem quandam Theodorum nomine in Cœnobio à se extructo Romæ licentius vixisse, qui cùm non longè à licentiose viræ fine abesset, desperabundus vociferare cœpit ad Religiosos lectum circumstantes : *Recedite, ecce draconi ad devorandum datus sum, quod facere propter vestram præsentiam non potest.* Monuit infelicem S. Gregorius ipse præsens, ut se Crucis signo armaret, & defenderet ; negavit se id facere posse, utpote pressum & oppressum à dracone, quo audito S. Gregorius Noster tantò magis cum Cœnobitis illis instituit orationi ; & sic brevi infernali draco abasitus, & æger libertati redditus est. Inquisiens : Ecce draco, qui me devoraturus venerat, fugit precibus vestris expulsus : pro peccatis meis modò intercedite, quia converti cupio, & malam vitam in meliorem commutare. Tantum potuit S. Gregorij & aliorum Religiosorum oratio, ut draconis infernalibus faucibus ereptus sit æger, & draco in fugam datus. Quia ergo non semel, neque raro adversarius noster diabolus circuit quærens quem devoret, sed frequenter, imò quasi incessanter : idcirco orationi pariter operet frequenter incumbere.

Quod verò oratio corporales etiam hostes debet, & victoriam impetrat, constat Exodi 17. ubi dicitur :

tur : *Cum levaret Moyses manus, vincebat Israël.* Unde Augustinus ait : Memores estote Moysis servi DEI , qui Amalech non ferro (pugnando) sed voce & mente (orando) dejecit. Idem præstítit non ferro pugnando, sed voce orando Magnus ille Theodosius, Orientis & Occidentis Imperator , Orthodoxæ Religio- nis Atlas, Pietatis columen, & exemplar. Is An: Christi 394. non modo copiâ legum, sed & armatis copijs in hæresin pugnaturus ex Thracia in Galliam duxit exercitum adversus Eugenium. Ventum est ad prælium, stabat aliquamdiu anceps belli alea, jamque vi- cторia Eugenio videbatur propitia ; fundebantur ex parte Theodosij aliæ cohortes, aliæ jam hosti terga dabant. Hæc videns Imperator in edita rupe consti- tutus (unde is conspicere, & conspici ab utroq; exer- citu potuerat) atque equo desiliens exclamasse dici- tur : *Ubi est ergo Theodosij DEUS?* & projectis armis ad orationem se convertit, ubi prostratus humili, non amplius confidens in humanis viribus & armis, e Cœlo implorabat auxilia. *Optimum refugium* (ait Chryso- stomus) *in omni necessitate, si alia remedia defint, est oratio.* Ecce enim vix Imperator breviter oraverat : mirum in modum jam duces & milites animantur ad perseverandum, ad standum, ad pugnandum, & in solito spiritu viam faciunt, in medios hostium cuneos irrumpentes, sternuntur agmina hostilia acervatim, & densi jacent cadaverum acervi. In ipso enim pu- gnæ fervore exortus est repente ventus tam vehe- mens, qui tela ab hostibus ejaculata in ipsos retorquebat, & excitati pulveris immensam copiam in hostium vultus & oculos congerebat, quibus omnis usus oculorum & armorum hosti eripiebatur : Referunt etiam Authores Joannem & Philippum Apostolos Theodo- siani exercitus Duces factos fuisse. Quam proinde vi- cторiam Divino auxilio, & orationis efficacia partam, nec victores, nec victi negarunt aut dubitarunt ; de qua intelligi potest illud Claudiani :

Te propter, gelidis Aquilo de monte procellis
 Obruit adversas uicies, revolutaque tela,
 Vertit in Authores, & turbine repulit hastas.
 Onimium dilecte DEO! cui fundit ab antris
 Aëlus armatas hyemes: cui militat Aether,
 Ec conjurati veniunt ad clasica Divi.

Meminit etiam hujus admirandæ victoriæ S. Augustinus, afferens: Theodosium magis orando, quam feriendo pugnasse. Quod si autem adhuc frequenter armorum strepitus infonant: frequenter immo assidue bella nostris in partibus geri etiam contingat: quibus non Reges solum & Respublicæ premuntur, gravantur, inquietantur, sed etiam Religiosi vel maxime iisdem petuntur, tanguntur, & anguntur, eorum bona aut diripiuntur ab hostibus, aut exactionibus extraordinarijs imminuuntur a terræ Principibus; quod si tot tamque frequentibus bellis non solum in bonis temporalibus, sed & spiritualibus per frequentia bella multum impediuntur Monachi, Monasteria & Religiosi omnes, nunquid frequenter orandum est? Da pacem Domine: non est aliud, qui pugnet pro nobis, nisi Tu; Fiat Pax in virtute tua. Bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.

Præterea DEUM placat, veniam impetrat, a peccatis expurgat oratio. Sic Exodi 23. dicitur: Moyses orabat, &c. placatusque est Dominus. David modicam oratiunculam ejaculatus est ad Dominum, & statim audivit per Prophetam: Dominus quoque translulit peccatum tuum. Modicum oravit pœnitens latro, & multorum obtinuit veniam delictorum; Domine (orabat) cum veneris in regnum tuum, memeno mei; & mox audivit responsum: Hodie mecum eris in Paradiso. Nonne oratio illa Publicani Lucæ 18. tanti valoris erat, ut, qui sceleribus plenus intraratur templum, justificatus descendenter in domum suam. An nescis Deum esse Regem illum, ad quem accedens servus, qui de-

eem millia talentorum debebat, (ingens sanè debitum!) oratione sua modicā impetravit non solum, quod petiit, sed etiam plus quam petiit; impetravit non tantum inducias seu dilationem solvendi, sed integrum remissionem totius debitū: *Procidens enim ser-
vus ille, Matt: 18. orabat eum dicens: Patientem habe
in me, & omnia reddam tibi: Misericordia autem Dominus
servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei;* & pau-
lò infra ait Dominus: *Omne debitum dimisi tibi: (cur?)
quoniam rogasti me;* non quia triduo in pane & aqua
inediam sustinuisti, non quia vigilijs te macecrasti, non
quia multis annis te cilicio & cinere, virgis & flagris
castigasti, non quia austera vitam in eremo & solitu-
dine transegisti; sed: quoniam rogasti me, animo sci-
licet contrito & humiliato. Quod si igitur Apostolo
teste: in multis frequenter offendimus omnes: Quod si
nemo sine peccato est, teste Joanne; Quod si septies
in die cadit justus, Sapiente teste: Nonne frequenter
orandum Religioso est, ut frequentes offensæ, culpæ,
& maculæ, implorata Divinâ Clementiâ deleantur.

Neque solum morbos spirituales animæ oratio
eurat, & peccata delet, sed & ad curationem infirmi-
tatum corporalium (quæ plurimis plurimæ sunt) va-
let plurimum. Hinc monet Ecclesiasticus c. 18. *Fili,*
in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora DEUM.
& ipse curabit te. Et Jacobi ult: *Oratio fidei sanabit
infirmitum.* Denique in omni corporali necessitate,
tribulatione, & miseria subvenit, sublevat, juvat ora-
tio: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi (ait Psal-
tes) & exaudivit me.* Et 2. Faral: 20. *Cum ignoramus,
quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ocu-
los nostros dirigamus ad te.* Oravit sic DEUM S. Joa-
nes Damascenus Noster in infirmitate sua, & curatus
est: clamavit ad Dominum, cum tribularetur, & ex-
auditus est. Cum ignoraret, quid agere deberet, hoc
habebat residui, ut oculos manusque suas, mentem &
orar-

orationem dirigeret ad Dominum. Joannes Damascenus, à Patria sic vocatus (nempe Damasco) vir magnæ sanctitatis æque ac doctrinæ, æqualis Venerabili Bedæ (ut loquitur Pexenfelder histor: 150. quoru ille Orientem, iste Occidentem illustravit) fortiter & constanter hæreticis (Iconomachis) sè opposuit, tres libros pro sacrarum imaginum defensione scribens. Is igitur (ut dixi) Damasci natus, Saraceno Principi Damasci imperanti à Consilijs & inter paucos charus fuit, utpote vir moribus & omni scientiarum genere exultissimus: vivebant quippe tunc temporis Chresticolæ Saracenis permixti: Verùm Joannes apud Regulum Damascenum mendaciter delatus de crimine proditionis, & conspiratione cum Leone Imperatore Christiano sed Arriano, inauditus, indefensus, furore jus dicente lictoribus traditur, à quibus in proditionis pœnam dextera ei amputetur. Igitur Joannes ab illis vindictus, in publicum forum producitur, & ante oculos concurrentis universi populi in erecto pegmate statuitur: dextera trunco imponitur, & carnificis asciā amputatur, amputata ex alto spectanda suspenditur. Cumque dies abiret in vesperum, Joannes unimanus, id est una manu quidem, sed non animo mutilatus, sperans furorem Principis cā pœnâ contenti mitigatum jam esse, mittit ad eum, qui suo nomine supplices peterent manum appensam & sensu usuque iam easam sibi restitui. Permovit supplicantis demissio Principem, ut annueret postulatis. Truncam ergo manum Joannes ubi recepit, mox in oratorium se confert, humili prostratus orat, abscissam manum admovet commissuræ brachij, intimo pectore ingemiscens, & cum lacrymis & ingenti fiduciâ orans redintegrationē manus suæ, quam innocens amisisset. Ergo inter orandum leni correptus somno advertit (somno excusso) detruncatam dexteram nativæ juncturæ integerrimè adhærente vivam ac vegetam, atque ad priores usus per

per omnia aptam, relictâ solūm in miraculi memoriam rubente linea (quam rectius armillam diceres) mox ergo ambas manus in altum sustollens benedixit DEUM cœli, qui fecit cum illo misericordiam istam. Quâ rei novitate & miraculo obstupefactus Princeps barbarus, veniam precatur, & pristinæ Dignitati Joannem restituere, imò majoribus etiam honoribus cumulare decernit. Ast Joannes turbarum fatur Aulicarum, post longas preces dimissione impetratâ, Hierosolymam profectus, vitam demum sectatus est Benedictino-Monasticam, & Ordinem Benedictinum non solùm, sed & Ecclesiam universam non minus sanctitate morum, quam doctrina librorum illustrare perexit. Nonne ter felix fuit Joannes : cui contigit vulnus accipere, quod oratione debuit potuitque curari. Sed nunquid frequenter etiam Religiosus corporis infirmitatibus varijs subjicitur & molestijs ? quid factu opus ? frequenter orandum. *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora DEUM, & ipse curabit te.* Nam Dominus dixit : *Omnia quæcumq[ue] petieritis in oratione, credentes accipietis.*

Demum ut orationis efficaciam efficacius animo imbibas, audi Augustinum : *Per orationem Saulus efficitur Paulus, Daniel inter leones liber exultat, Job in Hierquillinio triumphat, Susanna inter senes defenditur, Stephanus de torrente in calo suscipitur, Jonas de ventre ceti liberatur.* Et ut observavit hic cit: Ecclesiæ Doctor: clamavit de profundo Jonas, de ventre ceti ; erat enim non solùm sub fluctibus, sed etiā in visceribus immanis belluæ ; nec tamen illud corpus & illi flaus intercluserunt orationē, ne perveniret ad Deum, & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis ; penetravit omnia oratio, pervenit ad aures DEI. Et B. Ephrem in libro de luctaminibus seculi : *Orationes sanctæ & puræ, colloquia DEI sunt, Angeli & Archangeli cum gaudio eis occurrunt ; & suscipientes eas iu-*

ad thronum DEI perducunt. Et S. Chrysostomus super Matt: ait: Sicut thymiana benè confectum delectat hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis scire dignitatem orationis? mox ut de ore processerit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt ante DEUM, quā totam cœlestem curiam quasi suavire dolentia recreant, iuxta quod Apoc: 5 dicitur: Habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Si igitur tantum bonum est oratio; immo si tanta bona (ut antè memoravimus) immo omnia bona depreciatione assidua & oratione frequenti obtinentur a DEO, meritò S. P. Benedictus frequentem orationem nobis commendat.

Ut verò in praxin Instrumentum hoc Religiosus facile redigat, sciat: opus non esse orationibus longis & diu protractis, sed vel brevibus & bonis insistere opus bonum est, prout alibi S. P. B. monet; præfendum non esse in longis orationibus & prolixis, sed in bonis, et si breves sint; Non in multiloquio (ait S. Pater) sed in compunctione cordis & devotione mentis nos exaudiiri sciamus. Plus enim valet una salutatio Angelica ex corde puro & affectu sincero profecta, quam centenae & millenae properante lingua, & inde votè, inattente, consuetudinariè recitatæ. Neque enim oratio labiorum tantummodo debet esse, sed & cordium; non enim multiplicia verba DEUS attendit, sed orantis affectum & cor respicit. Refertur in speculo exemplorum, fuisse fœminā magnæ (ut sibi videbatur) pietatis; sibi persuadens, quod quoties salutationem Angelicam recitaret, toties lapillum in dolium benè magnum projiceret, ideoque proposuit prius ab orando non desistere, quam cadus ille lapillis repletus esset, quo facto Genius ei cœlestis apparuit, & certiorem reddidit, ex omni illo salutationum continuatarum cumulo tantum unicam fuisse, quæ candidum lapillum seu album calculum mereretur, cum è contrario sèpè aliud

unicā simili (sed ferventiore) oratiunculā mereatur plures lapillos & gratiæ gradus. Nempe plus interest quomodo, quam quantum ores. Brevis quidem sed efficax sanè fuit illa Davidis (nescio, num dicam oratiuncula an) vocula : Peccavi. Et illa latronis : Memento mei. Et Publicani : DEUS propitius esto mihi peccatori. Et illa filij prodigijs : Peccavi in cælum & corram te, &c. fac me sicut unum de mercenarijs tuis. Orationes breves sed efficaces. Atque hinc est, quod etiam S. P. Benedictus non jubeat orare diu, sed frequenter. Orationi inquit frequenter incumbere.

Oratio autem nihil aliud est, quam mentis in Deum elevatio. Ergo satis frequenter orat, qui, quantum humana infirmitas finit, frequenter mentem in DEUM elevat ; singula, aut saltem pleraque opera dirigendo ad Deum, in omnibus (quæ cogitat, loquitur, facit, omittit) querendo Deum, seu faciendo propter DEUM. Item jaculatorias, quas vocant, preces ad Deum emittendo, quoties aliquid novi agendum inchoatur, vel quoties horologium insonat, vel quoties obvia occasio & ansa se offert.

Præterea pro exactiori hujus Instrumenti observantia vide, an Canonicas horis, quæ frequenter per diem recurrent, diligenter intersis, nullâ omissâ. Si extra Monasterium aut alias à choro liber sis, rectius serceris (si tempus & negotia finant) Canonicas horas suo tempore seu statutis horis perficiendo : Matutinum cum Laudibus manè, Primam postea : & cæteras minores tempore adhuc antemeridiano : Vespertas suo tempore, &c. non verò omnes in unum differendo, & solius commoditatis gratiâ totum forte officium simul deproperando : jam enim convinceris te non libenter orare frequenter, nec præsens curare Instrumentum.

Demum quia oratio duplex est, mentalis una, vocalis alia ; & S. P. B. non distingvit, qua oratione velit

velit suos orare frequenter, mentaliter an vocaliter, idcirco recte utraq[ue] intelligitur. Et mentaliter & vocaliter orandum est frequenter: hoc est saep[er] mediandum, & saep[er] orandum est. Quoad orationem mentalem seu meditationem satisfacies huic Instrumento, peragendo meditatiunculam tuam solerter post matutinas, adhuc autem solertiis alteram post Primam: vel alias suo tempore (de more aut *conventidine*) faciendam. Demum si attente ores, divina ruminando; si attente legas lectiones spirituales; si veritates supernaturales accuratius contempleris, rumines, mediteris (estō breviter, leviter, obiter) hæc si facis, jam orationi mentali frequenter incumbis, & menti S. P. Benedicti satisfacis. Secus si forte nec in hebdomade mentalem facias orationem, neque aliam vocalem, præter Breviarium simul & semel denroperatum: Illud vero si saep[er] plane omittas, plane Instrumenti hujus oblitus esse convinceris.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Quoties ingruit periculum seu animi seu corporis, ad orationem confugere. Quoties tentatione pulsaris, molestia afficeris, &c. oratione DEUM invocare.

2. Non commovere stomacho, si quandoq[ue] (præsertim belli aut pestis tempore) frequentiores & extraordinaria indicuntur orationes; sed tunc vel maximè libenter orare, & orationi incumbere, ac publicas etiam orationes, Litanias & devotiones promovere.

3. Orare & jaculatoria saltēm precatiuncula venia am deprecari, quoties in aliquod leve vitium & imperfectionem laberis, ut vel sic quasi in eodem instanti remittatur culpa, quo vix committitur.

4. In corporis doloribus & infirmitatibus vel maxime DEUM instanter frequenterq[ue] orare.

5. Singula (vel saltēm pleraq[ue]) opera specialiter ad DEUM dirigere, & mentem ad DEUM elevare, quod sane frequenter orare est.

6. Non tam orare diu & multum quam parum, sed
peccata bene.

7. Statis horis, quantum fieri potest, Canonicas horas
recitare, & non omnia differre recitanda & deproperare
da simul.

8. Omnia opera ad DEUM dirigere, & vel sic septem
mentem ad DEUM elevare.

9. Nec mentalem ullam die intermittere orationem,
& examina virtutum ac conscientiae. Vide, an fecoris
haec, & fac posthac.

INSTRUMENTUM LVIII.

Mala sua præterita quotidiè cum
lacrymis vel gemitu in oratione Do-
mino confiteri.

POst orationis Instrumentum inducit S. P. B. In-
strumentum compunctionis, tum quia oratio
juncta gemitui, & gemitus orationi majoris
multo apud DEUM sunt valoris & efficacie; tum
quia ipsæ lacrymæ & gemitus, tacite quodammodo
preces sunt, ipsis etiam vocalibus precibus efficaciores.
Hinc S. Magdalena, quæ erat in civitate peccatrix, ri-
gans lacrymis pedes Christi, nec verbum protulit, quo
orasset sibi peccata remitti, sed solùm lacrymas fudit,
impetrayit tamen, quod optavit: nempe remissa sicut
ei subito peccata multa. Unde Athanasius: Magna
virtus in lacrymis, quia per lacrymas magna peccata ob-
literantur. Et S. Hilarius: Penitentia vox, est lacrymis
orare. Et Cassiodorus: Tunc felicior anima, cum fler-
verit; lacrymis enim reparat, quod gaudio perdiderat.
Cum igitur oratio lacrymis irrigata, plus fructus ha-
beat & efficacie, meritò S. P. Benedictus priori Instru-
mento de oratione, subjungit præsens de compunctione &

ne & lacrymis, cò quòd oratio non sine lacrymis & gemitu esse deberet. Quas lacrymas in orante facile pariet peccatorum recordatio: dum enim orantes Deo assistimus, & cum eo conversamur, in memoriam utique non possunt non venire gravia scelera, quibus DEUM offendimus, quæque dolentibus & pœnitentibus meritò lacrymas extorquere possint. Hoc ergò lacrymarum donum optavit sibi Jeremias cap: 9. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum.* Desiderabat hoc Propheta, quia sciebat, quòd DEUS fletibus (præsertim orationi junctis) libenter flectatur, lugentes lætificet, & pœnitentibus veniam præstet. Unde & Ecclesia canit:

Audi benigne Conditor

Nostras preces cum fletibus.

Facilius enim sibi DEUM placat, qui veniam peccatorum orans, non alienâ convictus accusatione, sed ultrò crimen agnoscens admissum, & factus sibi meti ipsi Judex & ultor, punit lacrymis, quod pravis commisit operibus; nec intermittit fletibus aut gemitibus bene punire, quod non erubuit male committere.

Hortatur igitur Religiosos S. Pater Benedictus ad compunctionem pro peccatis præteritis, ad lacrymas, ad gemitus: & meritò; quia meritò dolendum est ex multis capitibus ob peccatum præteritum vel unicūm, taceo, ob plura. Quis enim non ingemiscat, quis non deploret malitiam & iniquitatem suam, quòd Divinam Majestatem infinitæ dignitatis offendit! Legem DEI æternam, eamque æquissimam iniqüissimè transgressus fuerit, tot & tantis Divinæ gratiæ auxilijs fuerit abusus, pro tot & tantis beneficijs à DEO cumulatim acceptis ingratus extiterit, à Deo summe bono se averterit, & ad summum malum, ad creaturam, ad peccatum se converterit, dæmonibus seu Angelis rebellibus se associaverit, amicitiâ se DEI & gratiâ privaverit, è numero filiorum DEI se ipsum ex-

cluferit, jure Regni cœlestis exciderit. Ut taceam sexcenta alia, quæ in peccato unico mortali occursum consideranda. Quām ergo dignum & justum est, malitia tanta commissa eluere lacrymis quotidie, & de ipsis malis in futurū emendare: Nam (ut Gerardus hic ait) qui novit tam graviter se DEUM offendisse, quomodo posset offensionis tantæ non jugiter meminisse? Quomodo in bone JESU, mi amor, quisquam Te diligit, qui non in jugem piperatum & ejulatum erumpit? Et sive quantum quis in amore DEI proficit, tantum & tanto magis dolor iste in amante crescit. Quis enim digne & satis dolor vel de uno in tantū bonū commissō peccato? Quam ob rem D. Benedictus discipulos suos malorum præteriorum jugiter & quotidie jubet esse memores, ut vel ex nunc magis Deum diligent, quem toties & tam graviter antē offenderant; utque vel sic ex amore dolor, ex dolore indies crescat DEI amor; & tanto magis Religiosus se deprimat, quo saepius recordatur indignæ & vilissimæ rei (peccato nimirū) iteratis vicibus (DEO postposito) adhaesisse; eoque ferventius ad DEI obsequium accendatur indies, quo crebrius DEUM Opt: Max: maximis vitijs desexit, in honora vit, offendit. Unde & Bernardus hortatur de modo vivendi, cap: 27. Propter verecundiam peccati oculos tuos ne audeas levare; erubesce, ambula demissa facie cilicium & cinis involvant membra tua, esto semper planegens, semper maren̄s, semper suspiria cordis emittens. Talis fuit S. Noster Theogerus Abbas, affiduis diffusens lacrymis, de malis sive à se, sive ab alijs commissis; Nam dum culpas de more faterentur discipuli, ipse non tanquam Judex, sed reus, paternā ex condolentia lacrymas affudit, similesque facile ex discipulorum oculis eo pacto elicuit: qualibus etiam lacrymis cùm sibi vacaret solus, affiduo diffuebat, cùm tamen in publicum prodiret, vulnu semper hilaris. Ex Anno Mar: 23. Decemb: B. Ascelina Sanctorialis, D. Berardo

nardo tam sanguine quam Religionis & sanctitatis studio juncta, ante Altare oratorij, fossulam sibi fecit, quam quotidie calidis implere lacrymis satagebat. *Ex Menon:*
Buc: 27. Decemb.

Sed placet nunc Instrumenti propositi verba singula examinare, quibus 7. conditiones (quas necessariò pœnitentia fructuosa & utilis ad vitam æternam, habere debet) tangi, ingeniosè observavit Cardinalis Turrec: in hunc locum. *Prima conditio* (ut pœnitentia perfecta sit) est, ut sit universalis, extendens se ad peccata omnia : Unum enim peccatum saltem mortale sine alio, aut ullum non detestatum seu non retractatum remitti impossibile est ; similiter pœnitentia de uno veniali & non de alio non est integrè fructuosa, et si unum sine altero remitti possit ; quia tandem saltem in vita fine debebit quis & hoc detestari, ad hoc ut in futuro seculo id sibi remittatur ; & debebit pro eo satisfacere vel fatispati. Unde & Ezechiel: 8. dicitur : *Pœnitentiam agite ab omnibus iniquitatibus vestris.* Hæc autem conditio denotatur per illam particulam mala : siquidem in plurali S. P. Benedictus loquitur : nam generalitate illius vocis (*mala*) intelliguntur non solùm omnia mortalia, sed etiam venialia ; indefinite enim loquitur. Namque sunt plures, quos pœnitent aliquorum peccatorum (ait cit: Cardinalis) ait non omnino omnium pœnitent, sed aliqua sibi reservant vel dissimulant, aut per incuriam pætoreunt. Et videri potest inter hos fuisse S. Noster Maurilius Episcopus, qui et si vir sanctus, & multis plenus meritis, dum ultimum exhalarat spiritum, & jam ex anime corpus sepulturæ mandandum fuerat, (ecce tibi) in plurimorum adstantium coronâ, repente defetro caput effert Maurilius, præsentesque alloquens, ait : *Decreta quidem sibi esse cœli gaudia, & quidem talia, quæ homini eloqui non licet, sed addidit : in via fese (dum ad cœli gaudia pergeret) horribili malorum*

dæmonum aspectu & grandi terrore detentum non nihil fuisse, quo minus rectâ & sine mora ad cœlum pervenerit, ob id solum, quod levia quædam peccatilla NB. (quis enim tam sanctus, ut sit sine nœvo ?) pœnitentiâ & sacrâ ex homolegesi expiare neglexisset ; nunc tamen jam sese ad præmia pergere. *Bucell: 9.*
Augusti: Huc oculos Religiosi ad tale spectaculum ! huc aures ad experti Roberti (Maurilij inquam) testimoniū, vos præcipue, quibus omne (fat grave etiam piaculum) peccatum est, leviora in computatione non sunt ; qui de minoribus aut minimis minime curatis. En levissima quæque ad iustam lantem divina iustitia appendit ; & non etiam minimis grave pondus inesse negetis, haec quoque deprimunt, & in cœlum rectâ ire non sinunt, nisi prius pœnitentiâ, lacrymis, vel gemitu, imò confessiore factâ Domino (ut S. P. B. monet) fuerint deleta. Ergo mala (quomodolibet mala sint) gravia, levia, contra DEUM, proximum, vel seipsum, accuratè expendenda & Deo cum gemitu confitenda sunt. Bernardus hoc ipsum in meditat; cap: I. monet : *Vitam tuam quotidiana di scussione examina, attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias : qualis sis in moribus, & qualis in affectibus : quam similis DEO, vel quam dissimilis ? quam propè vel quam longè (non locorum intervallis, sed morum affectibus) distes ?*

Secunda conditio denotatur per particulam sua : quâ innuitur pœnitentiam debere esse humilem & accusatoriam sui, oportet enim peccata humiliiter agnoscere, & ea sibi adscribere, non alteri ; nec confiteri Deo peccata aliena, sed sua propria. Sunt tamen, quos saepe magis cruciant defectus alieni, quam proprii ; vi dentes festucam in oculo fratris, in proprio trahem negligunt. Dolor talis de alienis malis inordinatus est. Filiiæ Jerusalem monebantur : *Nolite flere super me, sed super vosmet ipsi flete : hoc ipsum posset quandoq; incul-*

ineulcari quibusdam devotulis, & zelosis magis quo ad alios, quam quoad se. De quibus alibi actum est.

Tertia conditio fructuosa pœnitentiae est, ut dolorosa sit, quæ conditio denotatur per particulas cum lacrymis vel gemitu; ubi nota, notanter dictum esse cum lacrymis vel gemitu; quia donum lacrymarum non omnibus datum est, nec possint semper excuti lacrymæ, idque ex indispositione naturæ, non obstante intenso interiori dolore. Tunc ergo sufficit gemitus cordis. Quamvis & lacrymæ distingvi possint in lacrymas corporas & lacrymas mentis seu cordis, ut loquitur August: libro de pœnitentia, dicens: Reclœ pœnitens (quidquid contraxit sordium) oportet ut illud eluat lacrymas mentis: immo etiam gemitus non debet esse necessariò pectoralis, seu pectoris, sed sufficit gemitus animi: juxta id, quod Aug: dicit To: 10. serm: de nativitate Christi: Multi affluti sè dicunt esse peccatores, suspirant, ingemiscunt, & tamen adhuc illos deleat peccare, confessio quidem est, non emendatio. Accusatur per hoc anima, ast non per hoc salvatur. Pronunciatur offensa, non tollitur; pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati (NB.) & amor DEI. Quando sic pœnitet, ut tibi jam amarum sit (NB.) in animo, quod antè dulce fuit in facto, & quod te prius oblebat in corpore, ipsum te cruciet in mente, NB. (non pectori) jam tunc bene ingemisit NR. ad DEUM. Hæc S. Augustin: Qjibus verbis innuit, efficaciam pœnitentiae non in protestatione lingvæ, nec in suspirijs pectoris, sed in dolore animi confistere. Quod si externæ illæ lacrymæ & suspiria accedant, bene est, sed necesse non est.

Quarta conditio est, ut pœnitentia sit continua seu continuata, & habitualiter saltem perseverans, quod indicatur, cum dicitur quotidiè: de qua conditione Bernardus serm: de pœnitentia: *Vera pœnitens semper est in labore & dolore. dolet de præteritis, laborat de futuris cavadis.* Item: *Vera pœnitentia est, sine intermissione.*

termmissione temporis de peccatis dolere; ubi enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Quæ tamen intelligenda sunt de gemitu vel dolore habituali non actuali; juxta id, quod Doctor Angelicus 3. P. Qu. 44. A. 9. tradit: Pœnitentiam debere esse continuum secundum habitum, non secundum actum, siquidem impossibile est, ut homo continuo pœniteat actu; quia necesse est, quod actus pœnitentis, sive interior sive exterior, interpolletur ad minus somno vel alijs, quæ ad necessitatem corporis pertinent; alio modo dicitur pœnitere secundum habitum, & sic oportet, quod homo continue pœniteat; hoc est, quod homo nunquam aliquid contrarium faciat pœnitentiae, per quod habitualiter dispositio pœnitentis tollatur. Hæc S. Thomas. Unde etiam S. Benedictus nec dixit continuo, sed quotidie; quia modò quotidie renovetur de peccatis commissis dolor serius cum lacrymis vel gemitu, jam eo ipso non facilè revocabit dolorem hunc habitualiter per actum contrarium.

Quinta conditio est, ut salutaris pœnitentia etiam satisfactoria sit; quod denotatur, cùm dicitur *in oratione*: est enim oratio pars quædam satisfactionis seu eorum operum, quæ pro satisfactione peccatorum aliunde injungi possunt & solent. Religiosus ergo orando quotidie pro peccatis suis, per orationem ipsam quotidianam, in se quasi pœnitendo punit, quod male admisit. Oratio ergo quotidiana Religiosi sit opus pœnitentis oportet, quâ malum, quod fecit, impunitum esse non finat. Nec dubium est, quin quotidiana oratio ad hunc finem directa, in satisfactionem nimirum pro peccatis, sit valde fructuosa, & ad mentem ac intentionem S. P. B.

Sexta conditio est, ut pœnitentia habeat aliquem ordinem ad DEUM, seu ut elicita sit ex motivo supernaturali, ita ut non doleamus tantum propter temporalia incommoda, quæ ex peccatis sequuntur. V. g. si fur doleret propter suspendum, quod debet subire; & for-

& fornicator propter mulctam, quam dare debet, vel fornicatrix propter infamiam : sed dolere oportet propter motivum aliquod supernaturale, v. g. propter offensionem Majestatis Divinæ, aut propter metum gehennæ, in quam Deus mittit peccatores. Et hanc conditionem denotari dicit Cardinalis per illam partculam *Domino*.

Addo ego, quod per quatuor illas particulas *in oratione confiteri Domino* voluerit S. P. B. insinuare, se nolle nos adstringere ad quotidianam confessionem Sacramentalem, faciendam Sacerdoti in Confessione, seu ad verbalem accusationem sui coram illo, sed ad minimum, ut *in oratione confiteamur peccata Domino*, per seriam agnitionem & detestationem, esto non semper per accusationem Sacramentalem Confessario confiteamur. Qui verò id facheret ex intuitu hujus Instrumenti, quotidie (etiam Sacerdoti) confitendo peccata sua, nunquid non bene imò optimè facheret? confiteri enim peccata sua Sacerdoti non tam est confiteri homini, quam DEO. Scio certè à multis tencrioris conscientiæ viris id fieri, utique propter observantiam hujus Instrumenti & propter augmentum gratiæ Sacramentalis. Per confiteri igitur intelligi potest culpam agnoscere, fateri que coram DEO, vel Confessario, & de illa se accusare sive coram Confessario, sive coram Deo. Confessio enim, quæ fit Confessario, quæque non minus censetur fieri Domino, sine dubio maximi est meriti, & obeunda quotidie, si svadentem me audis, modo copia adsit Confessarij, & aliunde alia causa prohibens non obstat. V. g. scrupulositas suboritura aut suborta, &c.

Alterutro ergo modo mala sua præterita confiteri oportet & expedit quotidie, vel Domino in oratione cum gemitu & dolore, vel Vicario ejus, nempe Confessario in confessione: siquidem post lapsum non est alia via pervenienti ad Deum, nisi hujusmodi; id est,

est, per pœnitentiam. Hinc Chrysostomus : O pœnitentia, quæ peccata DEO miserante relaxas, paradisum reseras, contritum sanas, tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam reformas, & gratiam abundantiorem recuperas ! Pœnitentia sola est, quæ nos ad regnum cœlorum intromittit ; an non ergo renovanda est quotidiè, esto non peccaremus quotidiè, esto tantum semel peccassemus in vita. Siquidem homo in hac vita quantumcumque satisfecerit, de peccati remissione certificatus non est ; nescit enim, utrum amore vel odio dignus sit. Cumque vel ideo Religiosus Religiosum statum (qui status pœnitentiæ dicitur) amplexus sit, ut mala seculi corrigat & eluat, ideo hæc ipsa saepius ad memoriam revocare debet, & detestari assidue, quia quod semel male commissum est, semper detestabile est. Taliter ergo (quis dubitet) mala sua, si quæ habuit, S. Petrus de Alcantara quotidiè DEO in oratione cum lacrymis & gemitu confiteri erat solitus, & assiduam agere pœnitentiam ac detestationem, ob quod dein post mortem apparet gloriosus cuidam, dixit : O felix pœnitentia, quæ talenz ac tantam mihi promeruit gloriam.

Ex Breviario.

Septima demum conditio veræ pœnitentiæ est propositum non peccandi de cætero ; hæc conditio insinuatur pariter illis verbis : *cum lacrymis confiteri Domino*. Prout S. Gregorius ait : *Vera pœnitentia est, anteacta deflere, & deflenda iterum non committere* ; qui enim sic aliqua deplorat, ut tamen eadem vel similia rursus committat, non seriam pœnitentiam agit, sed simulatam. Verum hac de re Instrumento sequentि.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. De peccatis omnibus commissis quotidiè dolere, & universalem quotidiè excitare seruum dolorem, præsertim manè, vesperi, ante aut post Sacrum, vel sacram communionem, ante vel post mensam, &c.

2. De singulis etiam venialibus commissis serid & ex corde dolere.
3. Magis deflere defectus proprios quam affligi propter alienos.
4. Si non lacrymus oculorum saltem lacrymis mentis seu gemitu sincero & serio detestari totius vita delicia.
5. Dolorem continuum de præteritis peccatis ostendere, fugiendo nova.
6. Aliquod speciale opus mortificationis quotidie exercere, aut saltem quotidie aliquid orare (forte Psalmum Miserere) pro remissione peccatorum totius vitae.
7. Peccata detestari præcipue ex motivo Divina bonitatis (cui summe adversantur) potius quam ex aliquo proprio damni, panæ, incommodi, &c.
8. Peccata sua etiam Confessario, quantum fieri potest & licet, frequenter confiteri.
9. Non differre peccatorum detestationem, sed quotidie dolere de ijs, si peccasse contigit.
10. Demum ad observationem hujus Instrumenti saltem solitum Confiteor quotidie ad Completorium vel ad Primam cum devotione & seria compunctione recitare. Hoc sane erit peccata quotidie in oratione DEO confiteri.

INSTRUMENTUM LIX.

Et de ipsis malis decætero emendare.

VEra pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere; ut loquitur Ambrosius. Attamen (teste Isidoro) multæ lacrymas fundunt, & tamen peccare non desinunt. Verum irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, de quo pœnitet. Qui tangit laterem, & lavat se ab inquinamento ejus, si laterem iterum tangat, quid prodest lavatio

vatio ejus ? laterem crudum lavat, qui peccatum deplorat, & iterum peccatum admittit. Quid autem lavare profit laterem ? qui quo plus lavatur, plus descendit, & plus coinquinatur. Si ergo vis verus pœnitentia esse Religiose, in statu pœnitentiæ, id est in Religione & Religiosa professione tua, cessa a peccato: non amplius peccare; quia inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Quomodo enim verè deplorat, aut quid sic déplorare juvat, si mox admittat deinceps, cuius pœnitiebat. Quod si iterum idem committat, & ad peccatum redeat, canis est (revertens ad vomitum suum) non homo; aut certè homo-canis. Proh pudor ! homo-canis ! & tamen testatur id Apostolus 2. Pet. 2. Si refugientes coinquinationes mundi, his rursum implicantur, facta sunt eis posteriora deterriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem relinquere. Continuit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad vomitum suum, & sus in vokusbro luti. Hæc Apostolus. Unde & Christus Joan: 5. monet: Ecce fatus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Demum observa, voluisse S. P. Benedictum hoc Instrumento Discipulos suos a secularium & mundanorum moribus & consuetudine facere alienos, qui plerumque solent pœnitentiam, & seriam peccatorum detestationem in finem usque vitæ differre, aut certè de die in diem. Contra Scripturæ monitum: Ne tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem, subito enim veniet ira ejus, &c. Ecclesiastici 5. Serum est tunc de mala vita pœnitere, & vitam velle corriger, cum definendum est vivere. S. Benedictus igitur conjungit immediatè hoc Instrumentum cum priori, connectique illa per particulam & : vultq; quotidie mala confiteri Domino ET de cætero emendare; non verò differre confessionem talem, & emendationem. Prout id ipsum etiam Scriptura monet: Neque dicatis,

dicas, miseratione Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim & ira ab illo citè approximant, & in peccatores respicit ira illius. Eccli: 5. Quod si Religiosus quispiam irreligiosus dicat: adhuc juvenis sum, faciam modò & adhuc aliquot annis hoc & illud, quod me delectat; postea pœnitentiam agam. Respondet huic stultæ præsumptiōni Augustinus: Nonne hoc est dicere: percutio me gladio, & posset ad Medicum vadam; & nescit, quid in unius horæ puncto vulnus accipitur, quod vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur. Expeccas tempus infirmitatis, tunc pœnitentiam ages? sed an nescis, quia panitentia infirmi infirma est, & ideo dilectissimi, qui cunq; invenire vult misericordiam, sanus agat pœnitentiam. Justo enim DEI judicio plerumq; fit, ut homo, qui cum converti possit, non vult, converti etiam non possit, cum vult; quia qui præsens tempus pœnitentiae excludit, futurum non meretur.

Ergo Fratres (iterum loquitur Augustinus) quoniam habemus tempus misericordia, non nobis blandis-
murus, non dicamus: semper parcit DEUS; sed hodie sed quotidie, cum lacrymis vel gemitu confiteamur pec-
cata Domino. Festinare enim debemus ad DEUM
pœnitendo, unusquisque dum potest; ne si noluerit,
dum potest, non possit, cum tardius volet. Sed Pro-
phetam audiamus: Quarite Dominum, dum inveniri
potest, invocate eum, dum propè est. Sive ergo senex
Religiosus, sive juvenis; procrastinanda non est pœ-
nitentia & emendatio vitæ. Senex es? mors senibus
est in januis. Juvenis es? juvenibus est in insidijs.
Promiscue juvenum & senum densantur funera, &
nulli parcunt Parcae. Expertus est hoc juvenis ille
Religiosus, sacrum Cisterciensium Ordinem ingressus,
sed turpis postea factus transfuga ex vano Cuculi au-
gurio; quem cantantem ad veris initium audiens, vi-
ginti duas vocis interruptiones (quas fecerat avis, aut
verius

verius diabolus sub illa latitans) numeraverat; cre-
didiit ergo se totidem annos supervicturum, ut aniles
fabulæ ferunt. Is ergo nimis superstitione credulus,
& claustral is asperitatis pertoxsus, statuit Religioni va-
ledicere, seseque ad mundi illecebras recipere, viginti
annos delicijs impensurus, reliquos duos consecratu-
rus pœnitentia, & emendationi vitæ. Sed deceptus
est miser, & tum sua spe tum Cuculi vaticinio delusus,
mox altero tam fœdæ transmigrationis anno in deli-
cijs & iniquitatibus suis miserabiliter extinctus est.
Atque adeo Stygius ille Cuculus male credulum illum
Monachum sacro cucullo exuit; & neque quos sibi
promiserat viginti annos, in voluptatibus decretis exi-
gere potuit, neque postremos duos, quos pœnitentia
superfuturos somniaverat, obtinuit. Cæs: libro 5. mi-
rac: cap: 17. Eandem historiam metricè sic describit
Joannes Jahoda Societatis JESU in allocutionibus fa-
cias super Evangelia Dominicarum, Dominica Septua-
gesimæ:

Turpis ab excelsa ruſtabat Cuculus orno.

Dulcissimus inter cantor ineptus aves.

Bis decies fractum jam riserat aura sonorem,
Addiderat paſſas vox repetita duas.

Audijt hæc juvenis? Quid do virtutibus? inquit,
Et florem tanto terpore perdo meum?

Augurium accepto potius. Me Cuculus annos
Viginti cantat vivere posse duos.

Ergo vale! virtus! viginti scilicet annis:
(Quos genio vivam delicijsq;) vale!

Qui restant, tibi dono duos; quod sufficit. Eheu
Quām fati juventis prodigus ipſe ſui eſt!

Credit avi: ♂ geminū nondū compleverat annū,
Cum jam calva levis, jam brevis umbra fuit.

Viginti q; ubi ſunt, cecinit quas Cuculus annos?

Næ dignus famulo eſt iſte Propheta ſuo?

De S. Vincentio Ferrerio Ordin: S. Dominici, refertur
apud

apud Sur: 5. Aprilis, quod concubia forte nocte idem Sanctus, dum adhuc Religiosae militiae tyro esset, & pro virtute perseverantiae supplicabundus semel oraret, viderit insperato ad latus adstantem veneranda specie senem, & prolixâ barbâ spectabilem Archimandritam (Cacodæmon is erat sic personatus) qui Vincentium alloquens dixit: velim noscas me Vincenti, unus sum ex veteranis illis Patribus Ægyptiacæ quondam solitudinis incolis, qui Eremitæ id genus vitæ, in canis hisce meis & senio amplexus sum; priores juventutis annos in gaudijs, amoribus, & delicijs consumpsi; sequere me præeuntrem; annis florentis juventutis tuæ concede aliquid; & tunc demum vanarum satur voluptatum ipsa te senectus docebit vitia ponere, ubi æstus adolescentiæ remittet; tunc meliori consilio ultimos dies transcribe DEO, transcribe pœnitentiæ, quæ universa prioris vitæ delicta unicâ & eadem operâ poteris obliterare atque eluere, & quasi una fideliâ patres dealbare duos. Felicitatem æternam compendio lucrari potes, unicâ pœnitudine universa peccata eluendo. Quid opus est quotidiè peccatilla tua Deo cum lacrymis & gemitu confiteri, & delicijs omnibus abstinere præsentibus, &c. Advertit facile ex cantu suo Orcinum corvum S. Vincentius, *cras cras corvinum* occidentem. Itaque abacto hoc Stygio alite & consultore pessimo, in Religiosæ vitæ propolio, in quotidiana compunctione cordis & pœnitentiæ permanxit. Tu ergo Religiose non dæmonem svasorem differenda pœnitentiæ & emendationis, sed S. Benedictum Legislatorem audi & sequere; quotidiè diem mortis ante oculos suspectam habe; & ideo quotidiè cum lacrymis priora detestare delicta, futura cave. Exempla tibi nota erunt utique quam plurima, qualiter decepti sunt, qui sibi ipsis sponserunt inducias pœnitentiæ agendæ; & vitæ corrígendæ, quas nunquam à DEO impetrârunt; qui cum per omnem vel potissimum

vitam, per longum tempus, per aliquot annos Divinam justitiam ad vindictam sceleribus suis provocant, ausi tamen sunt salutarem à DEI clementia germitum, & deplorationem præteriorum malorum, antè nunquam deploratorum sperare circa vitæ finem & mortis viciniām ; Certè talis spes alit & fallit, qui sperat, errat. Spes impij (ait Salomon Sap: 5.) tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est. Dum potes igitur, pœnitentiam age, rebus tuis prospice : Ne credas Stygio corvo, & suum illud cras eras oggerenti; ne credas fallaci Cuculo, multos vitæ annos tibi præmentienti : è Styge sunt istæ volucres; noscuntur ex cantu. Non demoreris in errore impiorum (inquit Ecclesiastes cap: 17.) in more mundanorum, (&c.) ante mortem confitere, confiteberis vivens, vivis & sanus confiteberis (NB.) & laudabis DEUM, & glorificabis in miserationibus illius. Hæc Eccl: Nam si vis agere pœnitentiam tunc, quando peccare non potes; peccata te dimittunt, non tu illa. Adeoque pœnitentia seria non est, sed sera nimis ! ut verissimum planè sit : pœnitentia sera raro est seria ; Oportet ergo hodie incipiendo, ipsa mala non solum deplorare, sed & de cætero (hodie incipiendo) emendare.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. De peccatis præteritis dolorem serium ostendere, fugiendo nova.

2. Non differre penitentiam & vitæ emendationem de die in diem, immo nec ad unam diem vel horam (si peccasse contigit) multò minus ad finem vitæ, prout Vincenzio male fas sit Diaboli, & Cuculus illi Novitio.

INSTRUMENTUM LX. Desideria carnis non perficere.

I. Pet. 2.

Hoc

Hoc Instrumentum pluribus iterum alibi inculcat S. P. B. nimirum cap: 7. gradu 10. humiliatis dicens: *Custodiens se omni horâ à peccatis & vitijs cogitationum, linguae, oculorum, vel proprie voluntatis, desideria carnis amputare festinet;* & paulo post: *In desiderijs vero carnis nobis DEUM credamus semper esse praesentem, cum dicat Propheta Domino: ante te est omne desiderium meum.* Cavendum ergo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est, unde Scriptura praecepit, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas, &c.* Quod hic S. P. Benedictus, hoc dum antea monuit S. Petrus: scilicet abstinere à carnibus desiderijs, quo minus eadem perficiantur, hoc est in opus & effectum deducantur consensu voluntatis. Non praecepit S. Legislator, desideria carnis non habere, non sentire; sed non perficere, hoc est, ipsa opera carnalium desideriorum consensu voluntatis non implere. *Non dicit: Noli babere desideria mala, motus pravos, seu carnis stimulos;* quomodo enim in haec carne mortali, ubi caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, possumus non habere ex parte carnis desideria mala, motus pravos & stimulos; illad ergo fac; ut non obedias stimulis & motibus ejus, ut desideria ejus non perficias. Carnalia desideria penitus nulla, motus & stimulos nullos sentire, ne scire seu omnino evitare carnis concupiscentias, humanaam possibilitatem & conditionem excedit, ideoque hoc non exigit à Discipulis suis S. P. B. sciens, quod in arbitrio nostro positum non sit hoc, sed naturaliter adversus spiritum caro concupiscat, & hujusmodi concupiscentia vel invitis nobis ac repugnantibus, infiliat & ad malum pelliciat, ast ijs morem gerere inhibet. Ipse S. Paulus de se ipso testatur, Cor: 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo;* nihilominus fatebatur Apostolus: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnanton legi mentis mea.* Sentire ergo carnalem legem

gem in membris, malum non est, sed ei morem gerere, non oblistere, non repugnare, sed imperata perficere, desideria ejus implete, hoc scelus, id nefas est. Caro quidem concupiscere malum potest, sed peccare non potest, nisi consensu perficiat animus & spiritus, quod aduersus eum concupiscit caro : *Caro aduersus animam certare potest* (inquit Chrysostomus) *vincere non potest, nisi ipsa anima consenserit, ut vincatur ; anima autem aduersus carnem certare potest, vincere.*

Quæres, quomodo caro concupiscat aduersus spiritum, seu quid sit carnem aduersus spiritum concupiscere ? Ante responcionem nota, carnis nomine intelligi carnalem concupiscentiam, seu cupiditatem hominis inferioris, ut loquuntur Ascetæ : Et Apostolus Paulus : *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI.*

Nomine Spiritus autem intelligi potest spiritualis gratia à DEO infusa ad profectum & perfectionem spiritus nos excitantem : placet ergò Responsum audire ex veridico Vate (Mezlero lib: 3. cap: 54. de imitatu Christi) naturæ seu carnis, & gratiæ motus sic ingeniouse conferente.

Expetit hæc atq[ue] illa bonum. Seclatur honestum

Gratia ; naturam non nisi blanda juvant.

Allicit hæc multos, tamen est plenissima fraudum ;

Non fallit quenquam gratia, fraude caret.

Detrectat natura crucem, vinciq[ue], premiq[ue] :

Non renuit frænos gratia, sponte subest.

Pro lucris natura suis avidissima pugnat.

Gratia quod multis utile censem, amat.

Suspirat natura decus, famæque nitorem.

Gratia pro solo fidat honore DEI.

Ludibrium natura fugit. Pro nomine Christi

Fanda nefanda pati, gratia dulce putat.

Otia naturæ sapiunt, carniq[ue] rebelli.

Contra (quod profit) gratia semper agit.

Divitias, famam (natura) & inaniam laudat.

Gratia virtutes estimat, horret opes.

Delicias (caro quae sentit) natura requirit.

Solum in deliciis gratia Numen habet.

Nil gratis natura facit, corradit ubique:

Gratia mercedem gaudet habere DEUM.

Illustres natura Atavos, & stemata jaclat.

Virtutes Atavis gratia pluris habet.

Defectus patitur natura molestius aequo.

Gratia fert hilari peccatore pauperiem.

Cnnia dat natura sibi. Dat gratia Divis

Omnia, nec meritis arrogat alta suis.

Pascitur illa novis, vult magna & mira videri.

Ista latet, cupiens non nisi nosse DEUM.

Sedulus hinc sectare (facit quos gratia) motus:

Quos natura creat, seu caro falsa, fuge.

Ex his puto Religiose satis vides, quomodo caro & natura, seu naturalis concupiscentia & somes peccati concupiscat adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: & quænam sint illa desideria carnis, à quibus abstinere & eas minimè perficere oportet, seu in opus redigere. Compendiosius improba carnis desideria & opera à Religioso, & quocunque Dei famulo, nullatenus perficienda, tradit ipsa sacra Scriptura Gal: 5. 19. Manifesta sunt opera carni (inquit Apostolus) fornictatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, beneficia, inimicitiae, contentiones, emulationes, iræ, rixa, dissensiones, seclæ, invidiae, homicidia, ebrietates, commissationes, & his similia: Qui talia agunt, regnum DEI non consequentur.

Quæres secundò: Cur desideria carnis dicantur militare adversus animam, seu cur perficienda non sint? Respondeo: perficienda non sunt vel ideo, quia adversus animam militant, dicente Apostolo, & hoc ipsum allegante pro motivo: Obscurro vos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam.

Gal: 5. Militant autem adversus animam carnis desideria multipliciter: Primò naturales animae facultates & potentias obtundendo: prout Bacchus (& Venus præcipue) tum sensum tum intellectum, ac per consequens voluntatem hebetem facit. Secundò dignitatem hominis & naturae humanæ deprimendo, quia desideria carnis naturam hominis quodammodo vertunt in naturam peccoris, ob quod homo comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psalmo 48. Tertiò, quia animam expoliant bono & dono gratiae, dicente Apostolo, Rom: 8. *Qui in carne sunt, hoc est secundum carnem vivunt, Deo placere non possunt.* Quartò, quia æternâ vitâ animam privant, & in mortem æternam deducunt, *quoniam qui talia agunt (inquit Paulus) Regnum DEI non consequentur.* Gal: 6. Et Rom: 8. *Si secundum carnem visceritis moriemini.* Quintò: quia animam alijs in corruptibilem & immortalem corrompunt carnalia desideria; *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem.* I. Cor: 15. *Quemadmodum erim a turbida origine non nisi lutulenta & ad potandum male commoda seaturit aqua, ita & a carne totius corruptiōnis fonte & merâ immunditiarum cloacâ, quidquid fluit, corruptum est: quasque concupiscentias & desideria excitat, impuræ, immundæ corruptæ sunt, corruptentes ipsam animam.* Quòd si proinde Religiosus, vel alius, a carnalibus desiderijs (quibus hominem penitus carere non potest, utpote ex carne constans) tamen sic custodiat, ut maneat ab illis illæsus & incorruptus, ijs non consentiendo, & ea opere non perficiendo, talis non tam dicendus est homo incorruptibilis aut incorruptus, sed potius Angelus, sed incarnatus; imò excelsior Angelo, quia corruptæ ac sordidæ carnis velatus amictu, Angelicam tamen puritatem seztatur & tuetur. An non ergò salubriter S. P. B. consulit Religionis, desideria carnis non perficere, sed contra au-

den-

dentiūs ire, vincere, subjugare, quos ceu terrestres Angelos esse oportet.

Quæres tertio : Cur DEUS permittat carnem adversus spiritum concupiscere, ut continuo homo sentiat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Respondeo : *Quia talis concupiscentia & assidua spiritus oppugnatio est occasio perveniendi ad perfectam virtutem*, ut loquitur Divus Thomas in 2. Corinth: 12. 7. quatenus homo sciens se infirmum ex una parte, & ex altera se semper impeti carnis insultibus, magis redditur sollicitus ad resistendum, & ex hoc ipso quod magis & frequentius resistit, exercitatio semper efficitur, & per consequens fortior. Sic DEUS Iudicium c. 2. & 3. noluit deleri & destrui omnes gentes, sed reliquit illas, & citò subvertere noluit, ut filij Israël pugnando cum illis exercitarentur. Et Scipio Africanus nolebat destructionem Civitatis Chartaginensium, ut Romani haberent hostes, contra quos pugnarent, & pugnando exercitati, fortes, magnanimi, invincibilis manerent, sic etiam DEUS permittit quandoque nos subjacente carnis motibus & concupiscentijs, ut pugnando melius exerceamur, & gloriosum saepius de tali intestino hoste reportemus triumphum.

Subiungit autem S. P. Benedictus Instrumentum hoe post duo Instrumenta priora, quia qui desideria carnis amat perficere, utique nec præterita mala poterit seriò deplorare, & Deo ea cum sincero gemitu confiteri Domino, nec de ipsis malis de cætero emendare. In cuius confirmationem referre placet recentem, sed luctuosam historiam ex Henr: Engelgrave, in luce Evang: Parte 2. Dominica 1. Adventus. Postquam Henricus VIII. Angliæ Rex, hærelin (dulce malum, sed venenosum & pestiferum) in Angliam invexit, fuerat in Anglia juvenis nobilis, Catholicis alijs oriundus parentibus; sed temporibus mutatis ipse quoque à parentum vestigijs dolectens mutatus est, hæreticam

amplectens pravitatem ; non spiritu facta carnis mortificans, sed secundum carnem potius vivere, & omnia ejus desideria implere gestiens. (Nimirum aliunde omnia, quæ carnem aut carnalia desideria sapient, admittit & invehit hæresis.) Alebat ergo ad complementum desideriorum suorum juvenis ille domi pellicem, cum qua impudicè vivebat. Factum est autem, ut juveni hæretico rarâ Numinis indulgentiâ appetaret ipse Pater ejus jam defunctus, eumque comonneret, ut abjurata hæresi fidem à se doctam & observatam amplecteretur, & dæmonem illum familiariter & domesticum, concubinam nempe, domo ejiceret atque ab oculis procul ablegaret. Dixit & evanuit. Sed verba ærem verberabant, cor tamen adolescentis nimis penetrabant, sed perexit cœptæ libibini & pravitati insistere. Igitur rursus aliâ nocte se obtulit parentis, & ad iteratum serium monitum adjecit : futurum, ut ipsâ die D. Martini è vivis excederet ; æternum damnandus, nisi vitam ipse priorem damnet, defeketur, corrigat, emendet, & hæresim cum carnis desiderijs radicitus amputet. Sed ecce ! surdo fabula canitur ! usque adeò desideria carnis (præsertim libidines) excœcant oculos, indurant aures hominis, desiderijs hujusmodi inconsistentis ! Advenit ergo dies S. Martino Episcopo Turonensi sacra, quam à monente Patre intellectam esse putaverat, quod hæc deberet ei fatalis & ultima esse. Eâ igitur die seu in contemptum admonitionis factæ (quam noctis potius ludibrium fuisse interpretabatur) seu pellendi timoris & anxietatis causâ , instituit perditus juvenis insigne convivium, invitat contribules suos, & inter pocula & tripudia explodit non sine levitate & temeritate spectra sibi in somnis apparentia. Rem enim jam salvam credebat, quia dies decretoria aderat, & nondum perierat, sed incolumis usque manserat ; Hilaris ergo transfigit diem cum combibonibus suis, noctem cum pellice ; diem

diem Baccho sacravit, noctem Veneri. Die igitur altero jam illucescente (quæ erat duodecima Novembris, & S. Martino Papæ & Martyri sacrata) de strato surgit, diemque considerat, plaudit, gloriatur, quod vaticinium illud suum fuerit inane somnium, cum dies Martiniana cum nocte insuper transferit innoxia, quæ tamen sibi debuerat fatalis, funesta & suprema esse. Iterum ergo in lectum, in libidinem, in pellicis amplexus turpes ruit. Et ecce in medio turpisissimi flagitij æstu, derepente turpisissimus Veneris Alumnus fatali mortis spiculo læditur, solutis derepente totius corporis nervorumque compagibus. Sicut vixit, sic mortuus est, nimis perficiendo carnis desideria, & repudiata procul omni pœnitentiâ aut melioris vita inchoatione vel proposito. Docet sane juvenis iste te Religiose damno suo, ut pœnitentiam de præteritis feriam acturus, & mala de futuro emendaturus, desideria carnis ante omnia amputare festines.

Quamvis quidem difficilis & ardua pugna sit inter carnem & spiritum, naturam & gratiam, voluntatem & appetitum inferiorem, oportet tamen certare fortiter, carni, naturæ, & appetitui inferiori resistere, ejus desideria non perficere, qui vult feriam de malis præteritis pœnitentiam agere, & de ipsis de cætero emendare, qui vult à vanitate ad veritatem, à pravitate ad probitatem, ab inolita vitiorum consuetudine ad insolitam puritatem & innocentiam juxta præcedens Instrumentum converti. Neque terretur quisquam difficultate certaminis, dum videt Athlethas tot alios tam fortiter contra carnem decertasse; & superasse in eo, qui ipsos confortabat, nempe DEO. Grandis namque virtutis est (inquit Hieronymus) in carne non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & intestinum hostem instar Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare. Etenim ut Poëta (Mezl:) lib: 3. cap: 55. de imitat: Christi sit, de carne & concupiscentia ejus loquens:

Illa etenim primi vitio corrupta parentis,
 Author consilij non solet esse boni.
 Degener affectus cæco succumbit amori,
 Nee per se rectum, quod videt, exequitur.
 Ni: imur in vetitum semper, trahit hucce voluptas.
 Nititur in vetitum luxuriosa caro.
 Esse bonis cupio, prohibet caro; dumq; resistit,
 Optima constituens, pessima rursus ago.
 Quæ via sit rælli, scio: sed caro præpedit illud,
 Et facit, ut recta tedeat ire viæ.

Quæ cùm ita sint, iterum atque iterum, sæpè & enixa
 rogandus DEUS est, ut carnalia desideria repellat, aut
 certè superari faciat, & det victoriam per suam gratiam.
 Juvabit cum Augustino dicere: O amor, qui semper
 ardes, & nunquam extingveris, charitas DEUS meus at-
 tende me! desideria carnis vincere jubes, da, quod jubes
 & jube, quod vis. Vel cum Poëta sacro, lo: cit:

O Divine favor, qui corda superba potentium
 Deprimis; abjectis pandis ad Astra viam.
 O Ades! Athletam imbellem dulcedine comple,
 Unica donetur gratia, dives ero.
 Ingruat infestis manibus caro, mundus, & orcius.
 Gratia præveniat me tua: victor ero.
 Illa mibi nervos, & subsidiaria præbet
 Arma; mihi monitrix, Duxq; salusq; mea est.
 Hac sine sum cariosa fides, & inutile lignum.
 Quæq; alit undantes (flaccida canna) rogos.
 Ergo tuu JESU præcat favor, atq; sequatur,
 Et { moneat } studijs incubuisse pijs.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Desideria
 via carnis non perficere; hoc est: sectari, quod virtus
 sicut est, non quod blandum, & deliosum.
 2. Lucris suis & commodis non imbiare, sed in certu
 mento gloria DEI.

3. Honorem, estimationem, laudem non quarere, nisi solum DEI.
 4. Cruces, ludibria, depressions, confusiones, illusions non resugere, quin potius pro Christi amore libenter pati.
 5. Non querere otia, immunitates, exemptiones a laboribus & officijs molestioribus, vel occupationibus.
 6. Ante omnia corporeas sensuum delicias non amplecti.
 7. Non spectare mercedem temporaneam pro rebus gestis, sed celesti mercede contentum esse.
 8. Non jactare nobilitatem generis, stemmatis, tantorum.
 9. Defectus aliquos & carentias rerum, vel denegationes postulatorum ferre fortiter.
 10. Non curare novitates & vana, sed noſſe DEUM. Haec si feceris, desideria non carnis sed spiritus perfecisti.
 11. Fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam, veneficium, inimicitias, contentiones, emulaciones, iras, rixas, diffensiones, scillas, invidias, homicidia, ebrietates, commissiones, & his similia fugere, que omnia Apostolus inter opera carnis seu desideria ejus numerat.
 12. Si contingat motus carnis sentire, aut hujusmodi temptationibus gravius affligi, id forti animo ferre, quia non nocet, sed prodest Iesu, si deficit consensus.
- Ultimum: DEUM specialiter & quotidie rogare, uestes visibles & invisibles, militantes adversus carnem removent, carnalia desideria repellat; id est: quaevis prava desideria, que militant adversus spiritum. Vide, quid ex his feceris vel non feceris, & propone futura.

INSTRUMENTUM LXI.

Voluntatem propriam odio habere.

Difficile quidem & laboriosum videtur Instrumentum præcedens, sed hoc certè difficilius & consequenter etiam virtuosius atque perficius est. Illud enim ad non perficienda carnis delicia nos invitat (quod satis laboriosum est) non verò ad carnem odio habendam ; hoc verò Instrumentum etiam ad propriam voluntatem odio habendam & non solùm ad non perficiendam nos compellit, quod sanè difficilius videtur. Videndum ergò hic est, quid sit voluntas propria? cur odio habenda? & quomodo? Voluntatem propriam sic definit Smaragdus Abbas, insignis sacræ Regulæ nostræ interpres: *Propria voluntas est voluntas privata, vel singulariter sua, quam nullus alius approbat, nullus justam esse proclaruit; siue voluntas propria est, qua nullius Superioris, nullius alterius viri sapientis boniq[ue] consilio approbata est.* Aliter ex Regula sic definiri potest cap: 7. gradu 8. *Propria voluntas est, qua quis vult, quod nec communis Monasterij regula, nec majoriorum cohortantur exempla, aut statuta.* Proprium enim & commune sunt sibi operata, voluntas ergo propria est, quæ voluntati communia aliorum (præterim Majorum) est opposita. Prout & Bernardus eam sic definit: *Voluntatem dico propriam, qua non est communis cum DEO & alijs hominibus, sed nostra tantum; quando quod volumus, non tam ad honorem DEI quam propter nos ipsos facimus: non tam intendentes placere DEO, quam fatissimè proprijs motibus animi.*

Quocunq[ue] horum sensu accipiatur propria voluntas, non caret vitio, sed omnem talem meritò offendit S. P. Benedictus jubet, non solùm hoc loco, sed etiam

etiam alibi cap: 7. gradu 1. dicens: Voluntatem verò propria ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis, & à voluntatibus tuis avertere: & iterum rogamus DEUM in oratione, ut fiat illius voluntas in nobis, docemur autem meritò non facere voluntatem nostram, cùm caveamus illud, quod dicit Scriptura: Sunt viae, quae putantur ab hominibus rectæ, quarum finis usque ad profundum inferni demergit, & cùm item caveamus illud: corrupti sunt & abominabiles facti sicut in voluntatibus suis. Hæc ibi S. Benedictus. Et gradu 2. idem repetit, & addit: Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere; sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Item dicit Scriptura: voluntas habet pñnam, & necessitas parit coronam.

Est autem sex præcipue ex capitibus non solum non perficienda, sed & odio habenda propria voluntas: quia inimica DEO est, quia à sequela Christi abducit, quia contraria Religiose perfectioni est, quia crudelis & dira est, quia omnia bona opera bonitate, laudabilitate, pretio, & valore privat, quia radix omnium malorum, omnium peccatorum est. Inimica DEO est propria voluntas. Quia ut ait S. Hieronymus: Propria voluntas DEUM impugnat, & adversus eum extollitur; ipsa est, quæ Paradisum spoliat, infernum ditat: ipsa est, quæ DEO multum displicet, diabolo autem plurimum placet: Quid enim odit DEUS, nisi propriam voluntatem? quem punit, & tractat tanquam inimicum, nisi propriæ voluntatis amicum? cesset voluntas propria, & infernus cessabit. Denique si omne peccatum est inimicum Deo, omnis voluntas propria multò magis inimica Deo est, tum quia propter quod unumquodque tale, illud magis tale est, peccatum autem Deo est inimicum propter propriam voluntatem; ergo illa magis inimica est; tum quia omnis peccati fons

fons est, & prima radix ac mater universalis. Tunc quia voluntas propria est, quæ non est communis homini cum DEO, sed Dei voluntati contraria: adeoque non potest non esse Deo inimica, utpote illius voluntati contraria.

A sequela Christi abducit seductrix voluntas propria; dicente Christo: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum;* ergo post Christum venire non potest, qui se non abnegat; quid autem est abnegare nisi proprias voluntates penitus relinquere? Religio sus ergo, qui in Monasterio DEUM querit, qui post Christum venire, eumque invenire imitando cupit nunquam finem suum obtinebit, nisi voluntates propriam odio habuerit, quæ sola à Christo & Christus sequela separat. Certè Christus de se testatur, Iohannes. *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Religiosus igitur, qui oppositum facit, & voluntates suas exequitur (non Christi aut Patris cœlestis) iste Christum minimè lequitur, minus assequitur. Unde odiendam, persecutandam, expugnandam, & debolandam voluntatem propriam, seu ad victoriam sic extimulat (te Religiose) Mæsterus libro 3. cap: 53

Vita tibi si pura placet, te vince, necesse est.

Nec debes alium, Te timuisse magis.

Clarior in terris non est (mibi credo) triumphus,

Quam qui prostrato temet ab hostie venit.

Namq[ue] ubi divinis ratiō se nutribus aptat,

Atq[ue] animi famulum si putre corpus agit.

Nicephoras illic fas est numerare coronas,

Cælorum hoc pretio venditur imperium.

Velle tuum cæde ames; privataq[ue] commoda vita;

Destruito, proprius quod male struxit amor.

Hic ille est obex, & atrox virtutis Erynis,

Cedat amor proprius, cætera viator eris.

Ast quia nemo sibi moritur, Genioq[ue] litatur,

Passim ideo fermè gens pigra serpit humi.

Ergo sequi Christi, qui vult vestigia, frangat
Velle sum, è fluxis nil cupienter amet.

Contraria Religiosæ perfectioni propria voluntas est, teste Eusebio, dicente: *Illum diem tantum te bene vivisse puta, in quo voluntatem propriam abnegasti, & desiderijs tuis restitisti.* Et S. Hieronymus: *Tantum virtuti adjicies, quantum propriæ voluntati substraveris.* Denique si bonorum operum imminuit pretium, & malorum omnium subministrat somitem, uti dicens, utique Religiosæ perfectioni quam maximè obseruit.

Crudelis & dira est. Dicit enim Bernardus: Nullum onus gravius est homini, quam propria voluntas; quis enim tam nequam Dominus, quis adeò crudelis Tyrannus, qui non multò amplius subdito sive servulo parcat, quam homini sua propria voluntas? Nunquam quiescere, nunquam sub ea pausare licet, ubi illa dominatur. Quo amplius illa ad obediendum sibi te novit fatigari, eò amplius urget; & quo magis instigat, eò gravius onerat; an non crudelis est? sine pietate? sine misericordia? Cùm igitur homo solo naturæ ductu quidquid sibi adversatur, aut quo permititur, fugere & odiisse soleat, maximum verò à propria voluntate patiatur incommodum, pressuram maximam, utique vel ipsa natura ad eandem fugiendam nos impellere deberet.

Valorem meritorum enervat, juxta illud Isaiae 58. Quare jejunavimus, & non aspexisti; & additur: Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra. Hinc Bernardus: Grande malum propria voluntas est, quā sit, ut bona tua tibi bona non sint; etenim si in die jejunij mei inveniatur voluntas mea, tale jejunium Christo non placet; (puta si Superiori videatur hic & nunc mihi esse comedendum, ego tamen ex propria voluntate vellem abstinere.) Non illi sapit jejunium, quod non obedientiam sapit, sed vitium propria voluntatis. Hæc Ber-

Bernardus; Additque Emin: Cardinalis Turrecremata: Ego (ait) non solum de jejunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postrem de omni observantia Monachi idem sentio: minimè prorsus observantias illas (et si in se bonas) tamen inter virtutes censuerim reputandas, ubi invenitur voluntas propriis contra voluntatem Superioris.

Fons est omnium malorum; de quo Bernardus super Cantica: Sicut voluntas DEI fons est & origo totius boni, ita propria voluntas hominis est totius mali exordium. Et Divus Thomas in I. ad Tim: 3. leet: I. Radix totius iniquitatis est amor sui ipsius. Hinc ergo est, quod Christus Lucæ 14. dicat: Qui non odit Patrem & Matrem suam, abhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus. Et Joan: 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam; odiisse enim animam suam est odiisse voluntatem priam.

Porrò quomodo voluntas propria omnium malorum causa & mater sit, pulchra similitudine ostendit S. Noster Anselmus libro de similitudinibus: Propria voluntas (ait) ceu Regina est; ipsa enim dominatur omnibus inferioribus animæ potentijs, ipsi etiam intellectui, ipsi judicio: haec Regina meritò soli supremo Regi despponsanda immo despponsata est, maximè in Religioso per votum obedientiæ. Regina ergo propria voluntas est, sed saepè adultera, sed perfida sponsa suo; cum quo solo deberet esse & manere conjuncta. Saepè enim non Regi Regum, sed Rectori te-nebrarum Diabolo se conjungit, fidem DEO debitam & datam frangit, cum diabolo commercium habet. Hinc quid mirum, tot adulterinas soboles, tot monstrosos filios, tot vitia ex ea progigni: tot nimirum, quot sunt prava carnis desideria, superiori Instrumento allata.

Denique potiores ejusdem proprie voluntatis & amo-

amoris proprij abominandas soboles recenset S. Paulus
 1. Tim: 3. In novissimis diebus (inquit) erunt homines
 se ipsos amantes, & statim subjungit: cupidi, elati, su-
 perbi, blasphemari, Parentibus aut Superioribus non obe-
 dientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace; crimi-
 natores, incontinentes, immites, sine benignitate; prodi-
 tores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis
 quam DEI, habentes quidem spem pietatis, NB. virtutem
 autem abnegantes. Ecce abominandas unius proprii
 voluntatis soboles ex Dæmone conceptas, proprijs-
 que demum e visceribus progenitas!

Filiæ ergo voluntatis propriae sunt cupiditas, elati-
 tio, blasphemia, superbia, inobedientia, ingratitudo,
 impietas, aversio, turbulentia, criminatio, incontinen-
 tia, immanvantudo, inclemencia, proditio, protervia,
 tumor, voluptatum amor seu desideriorum carnis. Ex
 quo vides, quam aptè post illud Instrumentum de
 carnis desiderijs non perficiendis hoc præsens subjan-
 xerit de detestanda & odio habenda voluntate pro-
 pria, quam extirpatā nunquam certè perficiemus ullā
 carnis desideria. Quia ut Gerardus in hunc locum lo-
 quitur: *Desideria carni facile non perficit, quisquis ho-*
stem illum acerrimum (voluntatem propriam) inter-
ficit. Rectè igitur voluntatem propriam ceu hostem,
 ceu adulteram, & matrem adulterinam tot malorum
 nostrorum odiſſe monemur.

Voluntas propria omnibus habenda odio est, non
 quia voluntas est, sed quia propria est, sive quia nostra
 est; neque enim voluntas nostra (quia voluntas est)
 omnis mali radix est, sed quia propria & non commu-
 nis cum voluntate DEI est. Odiſſe ergo oportet vo-
 luntatem propriam: sed quomodo? Eo modo quo
 adversarium, quo hostem, quo malefactorem odiſſe
 solemus: quos odio habemus, ut ne vocem quidem
 audire, nec vultum eorum videre æquo animo patia-
 mur. Ita & animas, voluntatesque nostras (si præter
 DEI

DEI voluntatem nobis aliquid imperant) vehemen-
ter aversari oportet, quasi nil de ijs audire aut scire ve-
limus ; sed quidquid suggesterint, illis in odium , eo
ipso contrarium facere oportet. Qui sic odit animam
suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.
Quod utinam Religiosi observarent omnes !

Certè quām pernicioſa & præjudiciosa (præſertim
viro Religioso) sit propria voluntas, nemo nescit ; mul-
tos certe ea in interitum corporis animique præcipi-
tavit. Qui enim propriam voluntatem amat (ait Ber-
nard:) ſemper illi oneri eſt, ſemperque moleſta aliena
voluntas, puta Superiorum vel aliorum. Quidquid
hi judicaverint, ordinaverint, disposuerint, fecerint;
ipſis arbitris male judicatum, male ordinatum, male
dispositum, male factum eſt ; contrarium ipſi voluntati
contrarium ipſis faciendum videtur ; nimirūm ut S. ^{Sw}
piens Prov: 14. v. 15. ait : *Via futili recta in oculis ejus*
qui autem sapiens eſt, audit, & sequitur aliorum consili-
um. Cassianus in collat: Abbatis Moysis expreſſe ait:
Nullo alio vitio tam præcipitem diabelus Monachum tra-
bit, ac perducit in ruinam, quām cum negleclis dispositio-
nibus Majorum, Seniorumq; consilijs, suo judicio defini-
tioniq; confidit.

Exemplo fit Malchus ille Monachus Divo Hiero-
nymo optimè notus, & coœvus, cuius etiam rem ge-
stam ipſe refert Hieronymus : Malchus (inquit) vi-
Religiosus & probus, inordinato tenebatur desiderio
redeundi ad tempus in patriam, ut Matrem adhuc fu-
perstitem (Patrem enim jam mortuum audierat) in
ſua viduitate solaretur, & venundata posselliuncula
ſeu hæreditate paterna, partem pauperibus erogaret,
partem Monasterio adferret : ecce pia in speciem in-
tentio ! Usque adeò verum eſt, quod Mezlerus lib: 3
capite 15. de imit: Christi ait :

Est desiderium non quodlibet atbere ab alto,
Etsi ego insipiens id rear eſſe bonum.

Nam minimè pronū est votorum expendere fontes,

Num DEUS an petulans urgeat illa caro.

Sæpè boni species tandem delusi: inanis,

Hos: quos jurasses nil voluisse mali. &c.

Ergo tentationem esse diaboli, advertens Abbas, & sub velamine boni operis, latere insidias antiqui hostis præscius, conabatur omni modo impedire ac dissuadere discessum; proponebat illi Abbas exempla complura hominum astu dæmonis sic deceptorum prætextu pietatis: Cumque persuadere id Monacho non posset dehortando, persuadere nitebatur obsecrando, ne id peteret, & se ipsum perderet, aratrumque manibus tenens, post tergum respiceret; suadebant id ipsum alij, sed vicit pertinaciā voluntatis sūe, Monitorum optima consilia; extorquet ergo ab invito Abbatे līcentiam seu permissionem eundi; ipse Abbas ad eū charitativus & compassivus, eundem aliquamdiu comitatur. Tandem valedicens, dixit: Video te fili, Sathanæ cauterio notatum; non quero causas; causa est pertinacia tuæ voluntatis; eas (ut lubet) in nomine Domini. Cumque igitur vias sūras pergeret Malchus, incidit in Saracenos, qui illis in locis ad prædam capiendam saepius evagari solebant; ergo capitur, rapitur in servitutem & captivitatem miser, priusquam aut Patriam aut Matrem videre licuit; injicitur came lo vincitus, & ad terras hostiles deportatur, includitur carcere, & exuto habitu, nudus ambulare pecoris instar compellitur: urgetur deinde in uxorem ducere servam, similiter captivam, alterius viri pariter captivi conjugem; cumque renueret id facere, sciens citra mortale cimen & jacturam æternæ salutis, id fieri minimè posse, egit herum sūm in furorem; qui implacabiliter commotus evaginato enim cœpit persectere gladio, & nisi confessim brachia tendens mulierem acceptasset, quasi duotorus illam, vitam cum sanguine sudisset. Tunc igitur sensit pertinaciæ & voluntatis

propriæ nocturna, humique prostratus eam, & ipsum deplorare cœpit. Hucce (inquit) mea propria voluntas in speciem pia perduxit! ut hic impius esse cogar, qui semper alias pietatem, semper virginitatem colui? quid prodest parentes, patriam, domum, & agrum, omnemque possessionem, immo uxorem (quam ducere mea vita non cogitabam) pro Domino reliquisse? tot annis jam in Monasterio DEO & virtuti servijisse? &c. Si modò cum hac summa me coquinavero; si modò non uxorem, adulteram, sed scortum duxero. Quid agis anima mea! perimus an vincimus? an proprio me mucrone confodiam? &c. In eas nimirum angustias, desperationem venit propriâ voluntate duce Malchi. Quis credat, quis ponderet, quis cogitet quantis getibus, quam densis lacrymis pertinaciam suam & luntatem propriam harum miseriarum causam (serò nimis!) incusarit! Sic nimirum est, sic agit sic evenit, sic fit pertinacibus, & propriam voluntatem amantibus, qui sui capitum & suæ voluntatis sunt, alienis nolunt acquiescere consilijs. Idololatriæ filius est nolle acquiescere, & quasi peccatum ariolans est suam præferre & quasi adorare voluntatem. Ergo Religiose damno & exemplo Malchi, jam tuum velle proprium, sed commune amplecti & præferre; præsertim Majorum, & velle DEI. Illud a Poëta lib: 3. cap: 15. de imit: Christi, ad Christum, Christi Vicarium concinens:

*Velle tuum sit velle meum, nil prorsus ut optem,
Quod late à placitu discrepet ungue Tuis.*

*Q mibi si nec velle foret, nec nolle facultas,
Extra ea, que rata sunt, irrita quæq; Tibi.*

Sic ora, sic age Religiose, & sic Instrumentum optimè observabis.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. I. Vocabularem propriam, hoc est privatam & singularem ab aliis

rum aequalium factis, exemplis, approbatione & consilio alienam fugere.

2. Nil facere contra prescripta Superiorum, statuta Monasterij, &c.

3. Temporis distributionem, & communem confutudinem servare.

4. Voluntatem suam cum Divina conformare, & non esse alterius voluntatis.

5. Voluntati nostrae, si praeter DEI voluntatem aliquid importat, obstatere, & ipsi in odium eo ipso facere contrarium.

6. Voluntati aliorum, consilio, persuasione, iudicio, dispositioni, &c. libenter accedere, & cedere, ubi & quantum licet, idq; in odium voluntatis propriae. Vide, semper ita feceris, & facienda posthac decerne.

INSTRUMENTUM LXII.

Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter (quod absit) agat: memor illius Dominici præcepti: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.

¶. I.

Explicatur breviter tenor præsentis Instrumenti.

Cohærent quām optimē Instrumenta hæc duo: *Voluntatem propriam odire, & Præceptis Abbatis in omnibus obedire*, & idcirco optimo ordine Instrumenta hæc duo S. P. B. conjungit, qui enim propriam voluntatem odit & fugit, alienam sequatur necessitate.

cessé est; præsertim illam, cui ex obedientiæ voto de-
vinctus & alligatus est, qualis est voluntas Abbatis &
cujusque Superioris. Horum ergo præceptis obedi-
endum est in omnibus, juxta id quod etiam Apostolus
monet Coloss: 3. *Filiij obedite parentibus per omnia: hoc
enim placitum est Domino:* Obedire autem Præpositis
& Superioribus quid est, nisi obedire parentibus? Et
hoc quidem specialiter innuit nomen Abbatis, quod
Patrem significat. Certè sicut obedientia mater est,
(unde plerumque Religiosi, filij obedientiæ dici so-
lent & volunt) sic eadem obedientia nos constituit fi-
lios Superioris, cui obedimus; Unde Divus Thomas
explicans illud Eph: 6. 1. *Filiij obedite parentibus vestris*
dicit: *Proprium filiorum est obedientia;* quali diceret:
proprium filiorum est obedire, & *proprium obedientiæ
est esse filios.* Sicut ergo filij tenentur juxta Apo-
stolum obedire parentibus in omnibus, sic Religiosi
Superioribus tanquam parentibus; alias certe indi-
gni sunt tam honorifico titulo, ut filij nominentur
obedientiæ.

Religiousorum igitur tanquam obedientiæ filio-
rum est, Abbatii & cuvis legitimo Superiori obedire
in omnibus, intellige, quæ justitiæ, pietati & legi DEI
vel sacræ Regulæ conformia sunt; nam si iniquum
aliquid præcipiat Abbas vel Superior aliis (quod ta-
men præsumendum nunquam est) obediendum mi-
nimè est; sed respondendum est illi tunc, quod re-
sponderunt Apostoli: *Oportet obedire Deo magis, quam
hominibus.* Nunquam ergo debet præceptum Abba-
tis à lege Domini discordare, ne dum præceptis Abbati-
is obedimus, à Domini DEI præceptis recedamus.
Hinc S. Thomas 2.2. Q. 140. A. 5. triplicem distingvit
obedientiam, unam indiscretam, & saluti præjudicio-
sam; alteram imperfectam, sed sufficientem ad falu-
tem: tertiam perfectam. Indiscreta illa est, quando
quis obediret etiam in rebus iniquis, & legi DEI vel
etiam

etiam sacræ Regulæ contrarijs (quam professus est) saltem in quibus Abbas dispensare non potest : talem obedientiam Superioribus non tantum non tenemur exhibere, sed tenemur non exhibere. Imperfæta autem obedientia, sed sufficiens ad salutem est, quâ aliquis obedit in his, in quibus tenetur sub peccato : non verò in alijs. Talem obedientiam si solummodo exhibeat subditus, ad quam sub peccato gravi tenetur, sive quæ voti finibus continetur, tunc (teste S. Bernardo) imperfæta est talis obedientia.

Obedientia perfecta est, qua Religiosus obedit simpliciter in omnibus, quæ non sunt contraria legi Divinæ vel sacræ Regulæ ; sive deinde sit obligatus in conscientia sive non. Prout ibidem S. Bernardus dicit : *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arcatur, non continetur professionis angustijs, sed ad omne, quod injungitur, spontaneo vigore liberalis animi extendetur.* Hac ergo ratione vult S. P. Benedictus discipulos suos præceptis Abbatis obedire in omnibus, non quidem ex debito necessitatis, sed saltem ex honestate virtutis.

Quia verò contingere potest, imò contingit, quod Religiosus subditus in Superioribus etiam suis, imperfectiones & vitia quandoque curiosius observet, indeque oblatrandi, & debitam eis submissionem subtrahendi ansam attipiat ; idecò ne quis fortè respiciens ad hujusmodi inconvenientem conversationem Superioris, authoritatem contemneret bona præcipiens, subjunxit providè S. Pater : *Obediendum esse in bonis, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat.* Certè fidelis subditus, Minister & miles fidelis, & ad obediendum promptus curare non debet, cuius conditionis & vitæ sit ille, qui Principis & Ducis sui mandatum defecit ; sed quid mandetur à Principe ; ita etiam Religiosus verè obediens (qualis sit Superior suus, perfectus an imperfectus) non discutit, sed ac si divinitus (id est) ab

ipso DEO imperaretur, moram pati nescit in parendo, at-
tendens ad illud Christi monitum : Quæ dicunt faciit,
qua autem faciunt, facere nolite. Matt: 23. Doctrinam
oportet sequi, si bona sit, non vitam, si mala sit, Supe-
rioris. Et ut S. Chrysostomus loquitur : Sicut aurum
de terra eligitur, & terra relinquitur, sic & subditi do-
ctrinam arripiant, & mores relinquant, cum etiam de
malo sepe homine possit procedere doctrina salutaris &
bona. Sint ergo (quid tum ?) non nulli Superiores,
Prælati, Confessarij, Concionatores, similes illis Scribis
& Pharisæis, qui legem prædicabant de Christo ventu-
ro, ipsi tamen nec recipiebant præsentem ; sint, qui fi-
dem prædicant, sed infideliter agant ; qui pacem do-
cent alios, sibi pacem non habent ; qui veritatem lau-
dant, & mendacia (quod absit) loquuntur ; qui gu-
lam avaritiamque, &c. castigant, & gulam, avaritiam-
que exercent ; virtutem laudando exaggerant, vi-
vendo calcant : Sint tales illi ! quid ad nos. Si aliter
faciunt, ac dicunt, & sibi ipsis contradicunt ; si mori-
bus destruunt, quod verbis ædificant. Sint tales illi,
obediendum tamen illis in bonis est, etiamsi ipsis (quod
absit) aliter agant. Non igitur Religiosus pius se sub-
trahat Superioris imperio, quisunque ille sit, sed mo-
nente Apostolo amuletur charismata meliora ; id est,
doctrinam sequatur, mores relinquat ; discat, quod
audit ; agat quod didicit ; nil curans, quidquid alter
agat. Stulte profecto attenditur (ait Gerardus hic) quid
præcipiens faciat, si non nisi quod decet & expedit, facien-
dum jubeat. Cum de se solum Religiosus respondere te-
neatur, quid fecerit, non quid Abba ; iste autem injuper
quid fecerit, & quid jussit.

Demum quid mirum, si fortè Prælati à subditis
exigant, quod nec ipsis faciunt ; cum enim Patres sint
subditorum suorum, ut initio dictum est, non mirum,
si quædam bona in filijs requirunt, quæ ipsis non ha-
bent. An vitio parentibus vertitur, & non laudi po-
tius

Nus ac merito eorum tribuitur, si parentes Laici filium optant Clericum? aut filiam Sanctimoniale? si agricola filium cupiat militem, illiteratus doctum, imò & improbus probum virtuteque præstantem? Ergo obediendum est præceptis Abbatis in omnibus, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat.

Synopsis & praxis hujus §. I. Obedire Superioribus in omnibus, que justa & pia sunt, aut saltem non impia.

2. Non solum obedire in his, in quibus teneris sub peccato (que est obedientia imperfœcta) sed etiam in alijs; si non ex debito necessitatia, saltem ex honestate virtutis.

3. Non minus libenter obedire Superioribus dyscolis & imperfectis, bona vel indifferentia præcipientibus, quam bonis.

4. Attendere, non quid agant ipsi Superiores, sed quid agendum censeant aut jubeant.

5. Boni consulere jussa Majorum, & hoc laudare in illis, si majorem virtutem & perfectionem à te requirant, quam ipsi præferant. Signum enim est, quod ament te, & quidem plus quam se. Sicut si agricola rudit filium suum admoveat studijs, & cupiat esse doctiorem se, signum id sinceri amoris est. Vide, an hoc modo, omni obedientia semper subdideris & subdere soleas Majoribus; & emendanda emenda.

§. II.

Quomodo obediendum sit in omnibus, ut in omnibus DEO grata sit obedientia nostra?

UT in omnibus DEO grata sit obedientia nostra, primam conditionem præscribit S. P. B. cap: 5. Reg: Nimirum ut sit sine mora. Tunc enim DEO acceptabilis erit obedientia nostra. & dulcis hominibus (ut

loquitur S. P. B.) quando exercetur sine mora ; seu quando mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit (ac si divinitus imparetur) quantocvus id exequitur obediens, nec moram facit in exequendo. Illa DEO obedientia placet, quando obediens statim relinquit, quæ sua sunt, & voluntatem propriam deferens, vicino obedientiæ pede jubentis vocem sequitur, & exequitur factis ; Illa DEO obedientia placet, quando obeditur celeriter, & incunctanter, ut veluti uno momento simul sit Superioris iussio, & prompta discipuli obedientia, ac executio. Hæc est illa obedientia, quam requirit à Discipulis suis S. P. B. hæc est, quam amat, miraculis decorat, & honorat, æternis præmijs remunera tur DEUS, dicente Scriptura : *Hilarem datorem diligit DEUS.* Hæc est obedientia illa Deo acceptabilis, & dulcis hominibus, ut S. P. B. loquitur ; Si quod jubetur, sine mora, id est non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel responsione nolentis efficiatur, sed statim & incunctanter, ac si divinitus à Deo ipso id præcipiceretur. Omnis enim obedientia, quæ Majoribus præbetur, DEO exhibetur : ipse enim dicit : *Qui vos audit, me audit.* Quod cùm ita sit, utique cum bono animo à Religiosis exhiberi obedientiam oportet, quia hilarem (ut dictum est) datorem diligit Deus ; nam cum malo animo si obediatur, si ore vel corde murmuraret, et si impleat iussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, non opus ipsum cunctantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, immo poenam murmurantium incurrit, si non satisfactione emendaverit. Hæc S. Benedictus cap: cit.

Veri obedientes (mox ut aliquid imperatum futurum) moram pati nesciunt in faciendo seu exequendo, ait S. B. De quibus Dominus dicit : *In auditu auris obedivit mihi :* ex Psalmo 17. Sed quæres : quid hoc significet, *in auditu auris obedivit mihi*, seu quid sit obedire

bedire in auditu auris ? Respondeatur : sensum illius textus in auditu auris, &c. esse : in ipso auditu auris, quo vocem Superioris seu Dei per Superiorem loquentis audijt, statim & sine mora mihi obtemperavit, & obedivit ; quo etiam insinuat S. P. Benedictus : Deum reputare obedientiam tanquam sibi præstitam, quæ Superioribus præstatur : & vel ideo eam oportet exhiberi prompte & incunctanter ; ita ut mox ex occupationibus, quæ præ manibus erant) & opus, quod agebant, interea imperfectum potius relinquant, & vocem sequantur, exequanturque jubentis, si positis & postpositis omnibus alijs. Quia magis placet DEO talis obedientia, quam victima, id est, quam quæcumque alia opera. Talem obedientiam vocat S. P. cap: 5. Regulæ primum humilitatis gradum, vel (ut alij legunt) primum Religionis gradum : primum hoc est præcipuum & principalem, quo vera Religio & Religiosa humilitas (quæ est virtutum omnium & totius perfectionis basis) acquiritur, custoditur, fovetur, augetur, roboratur ; dicente Gregorio lib: 35. Moral: cap: 12. *Sola obedientia virtus est, que ceteras virtutes menti inserit, insertasq; custodit.* Humilitas ergo illo loco dicitur vita Monastica sive status Religiosus, dum S. Pater dicit : Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora : quatenus Status Religionis (teste Bernardo) est schola humilitatis. Nota ergo prima seu primaria boni Religioli obedientia est.

Quantum verò meriti sit, statim (id est in ipsa voce imperantis) relinquere opera sua, commoda sua, occupationes suas & exercitia, & quod agebatur, imperfectum relinquere, ac vicino obedientiæ pede vocem jubentis exequi factis ; quanti inquam apud Deum meriti talis obedientia sit, patet exemplo S. Francisci Romanæ ; quæ dum orationi sacræ vacaret præservide, ter sub ijsdem præcibus à Marito vocata, teg-

precatorium libellum cum precatione seposuit ; & opus, id est orationem sacram, immo & constructionem sensumque relinquens imperfectum, vicino obedientiæ pede festinanter ad obedientium cucurrit, & quod ei vocatæ injungebatur, velociter & sine tarditate adimplevit. Et ecce dum tertia vice post adimpletum opus, quod injungebatur, velociter ad solitum precan-di studium reverteretur, invenit caracteribus aureis notatas & scriptas literas seu syllabas ac verba, ubi orationem propter obedientiam disrupti imperfectamque reliquit, ut obedientiam perfectam exiceret. Adeò super aurum & topazion grata Deo obedientia est, ut aureis notari calculis utique sit dignissima.

Aliud exemplum narrat Climacus, gra: 4. num: 4. quod dum in Cœnobio, in quo tunc temporis Climacus degebat, consuetæ pro viro quodam Religioso & piè defuncto celebrarentur exequiæ & preces solitæ: repente totum odeum, seu locus, in quo funus jacebat, gratosissimo odore fuerit repletum. Cumque jussu Cœnobiarachæ apertum fuisse feretrum ; Ecce tibi ex venerandis ejus pedibus seu plantis geminos quasi fontes fragrantis ungventi scaturire in omnium præsentia visi sunt. Ad quos Præfectus Monasterij : *En miraculum, quod omnes videtis. Sudores nimirum laborum & fatigationum de pedibus ipsius expressi per obedientiam, tam gratum DEO odorem ungventi obtulerunt. Vis & tu Religiose sicut odor balsami esse ante Dominum, curre in odorem ungventorum istorum, vicino semper sis obedientiæ pede, obedi velociter, hilariter, incunctanter. Eo modo, quo in te ipso vides, ad natum voluntatis tuæ omnes sensus tuos internos & externos, & quælibet externa corporis membra moveri citissime sine interpolatione posse: quamprimum voluntas imperat, ipso momento imperata faciunt sensus externi & interni, quidni nos Religiosi idem faciamus, qui sumus membra Christi,* quid-

quidni ad voluntatem Christi & Vicariorū ejus, ad nūtum Superiorum, ad imperium Majorum quantocyūs promptē & sine mora exequamur imperata : id si minus facimus, minus nos facimus DEO, quām nobis faciant sensus nostri ! Et certe nos dum aliquid ab alio fieri volumus (jubentes puerum, discipulum, famulūm, hoc illudve facere) volumus, ut non tantūm prosperē sed etiam properē fiant imperata sive deliderata, cæterūm ægrē ferimus cunctantem. Quidni & nos præstō sumus, dum nobis aliquid à Superiore præcipitur, quidcunq; illud sit, & quiscunq; ille sit.

Obediendum non tardē, sed sine mora est, sicut Apostoli obedierunt Christo. Prout de Petro & Andrea à Christo vocatis dicitur : *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum*; similiter Joannes & Jacobus statim NB. *relictis retibus & Patre secuti sunt eum*. Quod considerans S. Bern: serm: 2. de S. Andrea ait : *Vis audire perfectæ obedientiæ formam ? vidit Dominus (ait Evangelista) Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis : Venite post me : faciam vos fieri pescatores hominum, fatiam, inquit, de piseatoribus pescatores, imd & prædicatores.* At illi continuò, nihil dijudicantes aut hæsitantes, non solicieti, unde divergent, non considerantes, quoniam modo rudes homines & sine literis prædicatores fieri possent, nihil deniq; interrogantes, sed sine omni mora relictis retibus & navi sequuti sunt eum. *Agnoscite Fratres, quoniam propter nos scripta sunt hac, ut discentes veræ obedientiæ formam, eandem in vobismet ipsiis exprimatis.* Et alibi idem S. Bernardus dicit : *Fidelis obediens moras nescit, fugit dilationem, ignorat tarditatem : præcipientem prævenit, aut certe factō comitatur vocem jubentis : oculos parat visui, aures auditui, lingvam voei, manus operi, pedes itineri ; & totus in procinctu est, ut imperantis impleat voluntatem : ut posfit cum Psalte dicere : paratum cor meum DEUS : paratum cor meum.* Talis esto & tu Religiose, & sic semper

per obedientia tua erit acceptabilis DEO, & dulcis hominibus.

Monet S. P. B. cap: 2. Regulæ, ut Abbas nullum diligat præ alio, nisi quem in obedientia invenerit promptiorem & meliorem: nec immerito: promptitudo obedientiæ longe ampliori dilectione obedientem discipulum reddit dignum. Ob quod & Abbas Salvianus (ut in vitis P. P. legere est) è duodecim discipulis, quos habebat, unum eorum (quem Marcum dixerunt) præ cæteris multò tenerius amabat, & quidem ad invidiam & tristitiam aliorum: cumque deinde cæteri de hoc apud eundem quererentur, causam majoris dilectionis legitimam, sequenti facto detexit. Igit ad singulas Fratrum cellas, & ad cuiuslibet ostium pulsans, quemlibet vocavit, qui omnes moram faciebant in comparendo; hos deinde duxit ad Marci cellam, & pulsans vocavit Marcum, is relictâ etiam literulâ (quam formabat) imperfectâ, statim comparuit sine mora: quo viso ipsi quoque male invidi Fratres agnoscere debuere, plus meritò illum esse (quam semet) diligendum. Plus etiam diligēris ab ipso Deo, si obedientiam sine mora dilexeris. Certe plus grati sunt Principibus, & magis diliguntur ab illis, qui præcepta eorum celeriter adimplent, quam qui tardè; iuxta illud Proverb: 20. *Vidisti hominem velocem in opere suo, coram Regibus habit, nec erit inter ignobiles.* Obedientia autem morosa, tepida & remissa nauseam DEO provocat. Ait enim Apoc. 3. v. 16. *Quoniam tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sic nimis obedientiæ opus alijs tam gratum & acceptabile DEO, si tamen tepidè fiat, aut tardè, fit ingratum & nauseabile DEO. Ergo non tepidè sed hilariter seu cum animo bono, & velociter fiat obedientia, quia ut Bernardus ait: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obsequantis obedientiam.* Econtrà nubilosa corporis compositio, & facies tristitiae tenebris obfuscatur.

fusca (dum obediendum est) obedientiam ab animo recessisse significant.

Ergo cum bono animo à Discipulis obediri oportet, ut obedientiae suæ mercedem obediens recipiat, seu gratiam ineat apud DEUM, monente Eccli: 35. In omni dato hilarem fac vultum tuum; nam quando quis cum malo animo, cum tristitia, langvore, vultuque nubilo obedit, obedit quidem, sed DEUM per hoc non exhilarat, qui solum hilarem datorem diligit.

Gerardus in illa verba Regulæ (non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure vel responsione nolentis obediendum esse) sic ait: *Quomodo possit obediare trepidè, qui noverit DEUM certò sibi adesse, & ad juvandum præsto esse? Quomodo tardè: qui DEUM ipsum noverit id præcipere, nec sanè poterit tepidè; qui expendit suā tantum interesse, si obediat, & opus injunctum perficiat. Quid stultius autem foret, quād cum murmure obediare, & murmurando præstare, quod infallibiliter intelligit sibi prodeesse? Quomodo non currat, & exequatur hilariter, qui gressum omnem remunerari noverit tam liberaliter? Hoc ergo differt ab inobediente is, qui cum murmure obedit, quod ille furit, iste desipit; & sicut ille impiè, quod amplecti deberet, detrectat, sic stolidè iste in vanum laborat & sudat, & adhuc stolidius sibi ipsi onus aggrauat; nam tanè magis onus sibi aggrauat, quantum ægrius, quod leve est, portat. Ergo animosè, velociter, ferventer, hilariter, sine murmure, sine contradictione sit obedientia Benedictina, alias licet obediat, obedit frustrè.*

Sine murmure verò vel maximè fiat (oportet) obedientia, ut lucrum obediens reportet, qui enim cum murmure facit obedientiam seu opus inunctum, nec ab imperante laudem, nec à DEO recipiet mercedem. Sed potius ab Abbatे debitam pœnitentiam, & à Domino eam, quæ murmurantibus debetur, justam recipiet pœnam. Unde monet Apostolus Philip: 2. *Omnia faci-*

facite sine murmurationibus & hesitationibus, & situ
sine querela, ut simplices filii DEI. Eodem modo ne
cum responsione nolentis fiat obedientia, disputando
an sit suus Superior? an habeat, quod jubeat? dicens
forte cum Judæis: Non habemus Regem, nisi Cæsarem;
non agnosco alium Superiorem, nisi hunc: nolentis
regnare hunc super nos, &c. Lucæ 19. Talis obedientia
ingrata DEO, infructuosa est exequenti; qui igitur
cum nolentis responso vel cum murmure obedienti-
am inchoat, (nisi citò emendet defectum) obedien-
do litus arat.

Atque hoc est, quod alij dicunt obedientiam de-
bere esse cœcam, id est, debere exhiberi cœco modo si-
ne discussione, quare hoc? quare ego? &c. Quia ut
Bernardus ait: Multos videmus post præcipientis impe-
rium multas facere questiones, & sapienter interrogare, cur,
quare, &c. quare hoc præcipit, quare mihi, unde hoc
venit? daß gleich allzeit auss mich kumbt? daß gleich
ichs allzeit thun muß? inde murmuratio, excusatio,
simulatio impossibilitatis, &c. Tales sane, et si deinde
obediant, non faciunt obedientiam DEO acceptam,
nec hominibus gratam. O impium! exclamat hic
Gerardus: qui cum Deo ipso sic contendere & expostula-
re audet, cur hoc faciat? cur hoc jubeat? &c. Cæsarius
ad Monachos hom: 8. ait: Quidquid tibi à Senioribus
fuerit imperatum, accipe tanquam de cælo sive de ore DEI
prolatum; nihil reprobendas, nihil dissentias, in nullo pte-
nitus murmurare præsumas: totum aquam, totum uti-
le, totum sanctum judica, quidquid tibi à Prælato viderū
imperari. Hanc simplicitatem, seu ut alij vocant, cœ-
citatem obedientiæ, magni faciebant olim S. S. P. P.
Sic Antonius præcipiebat Paulo simplici Eremitæ ve-
stes suere, & iterum dissuere: sportulas texere & post-
ea frangere. Plura similia & saepè ridicula pro proba-
tione junioribus injungebant: à quibus si viderunt
hac promptè fieri, præsumebant in rationabilioribus
multo

multò magis obedientes futuros. Ut verò sic humili simplicitate & simplici humilitate quis obediat, illud præcipue considerare juvat, quod, ut S. P. B. loquitur, *obedientia, quæ Majoribus præbetur, DEO exhibeatur.* Sic ut enim nemo ntiq[ue] discuteret mandatum, aut disceptaret, si aliquid à DEO ei præciperetur, sed illud humiliter impleret, sic nec disquirere manda Praelati debet humili & obediens Religiosus, quidcunq[ue] demum præcipiatur, & quiscunq[ue] sit præcipiens. Eius videns & apertis oculis incedens, omniaq[ue] (aut certè hinc inde) dispiciens, non est idoneus circuire ad molam; sed cæcus sit oportet, & cæco modo incedat, ut bene agat manus suam. Sic qui in Religione est ad rotam obedientiæ destinatus vel adstrictus, oculum proprij sensus, proprij judicij eruat, cæco modo obediat, sine discussione, sine murmure, sine responsione nolentis, ut bene agat, quod agendum est.

Synopsis & praxis hujus S. 1. Obedire promptè sine mora; mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit, (ac si divinitus imperaretur) quantoq[ue] exequendo.

2. Statim relinquere, quæ sua sunt, id est, quæ propria voluntate agebat opera; & vicino obedientiæ pede, jubentis vocem factus exequi celeriter & incutianter.

3. Obedire tam incutianter, ut non tam præcedere videatur Superioris mandatum, quin potius prædicta Superioris iusso & prompta inferioris obedientia & executio iussionis, quasi uno eodemq[ue] momento simul stare videantur.

4. Obedientiam exhibere Superiori, animo bono, vulneri bilari, prompto pede, non trepidè, non tardè, non tepide, aut cum murmure vel responsione nolentis.

5. Non solum exterius seu secundum exteriorem apparentiam obediare promptè & libenter, sed neq[ue] animo contradicere, aut obmurmurare; nec quidquam sive ore sive corde opponere.

6. Semper se occupati etiam manibus abire, id est relin-

relinquere interea occupationes, quæ præ manibus sunt, opusq; ipsum, quod agebatur, imperfictum relinquere, & vocem jubentis exequi sepositis & postpositis omnibus alijs: idq; exemplo Sanctæ Franciscæ.

7. Corrigere saltem motus primos promptæ obedientiæ contrarios, & sese recolligere. Si ex humana fragilitate & motu primo cum aliquali contradictione animi, opus obedientiæ sis aggressus, ut saltem non sine murmure & contradictione finias, quod cum murmure & animi contradictione inchoasti. Vide, an hæc omnia servaveris, & servanda posthac serva.

¶. III.

Cur sit in omnibus obediendum?

Jubemur omni obedientiæ nos subdere Majori, seu in omnibus obedire, qualiscunque sit Superior, & quidecumque demum statuat, decernat, jubeat. Hujus autem promptæ obedientiæ in omnibus incunctantes præstandæ, varia possunt esse motiva. Primum est, quia obedientia Mater virtutum & custos est. Nam ut ait S. Gregorius: *Obedientia non tam virtus est, quam Mater virtutum. Hoc solam virtuti adjicies, quod propria voluntati detraxeris*, inquit Sapiens. Quantum verò virtuti ex obedientia accrescit, tantum accrescit & præmij. Ex quo habes Religiose, quanto pere obligeiris, ad obedientiæ studium toto animi conatu suscipiendum, quatenus obligatus es tendere ad perfectionem & omnigenam virtutem. vi Statūs & professionis tuæ. Sola enim obedientia, utpote virtutum omnium Mater, securissimo simul & compendiosissimo tramite ad ipsum supremæ perfectionis apicem perducit. Prout certè per obedientiæ tramitem incedens Dositheus S. Dorothei Discipulus, quinque annorum spacio tantum profecit in virtute & meritis, quantum alius, qui multis annis severissimam vitam egebat.

rat. Est ergo obedientia virtutum Mater. Quod si
mater? etiam custos.

Deinde obediendum est in omnibus, quia nobilissimum genus triumphi est vincere se ipsum. Nam quoties alterius imperio (ut loquitur Gregorius) humiliatur subdimur, nos metipsoe in corde superamus. Unde recte Sapiens Proverb: 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Et (si est fortior, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia) fortissimus sanè triumphator & victor est, qui obedientiae virtute & armis semetipsum triumphat & vincit in omnibus. Attestante iterum Sapiente Proverb: 16. *Melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore Urbium.* Et Seneca ait: *Qui se ipsum vincit, contra omnia fortis est.* Atque hinc est, quod alibi S. P. B. dicit: *Obedientiae arma esse fortissima, utpote quibus elementa & omnia quæque (ipsæ etiam nocivæ belluæ) domantur & triumphantur.* De S. Canoaldo Episcopo legitur in An: Marian: Ben: 23. Aug: quod (cum adhuc Monachus esset) ab Abbe in solitudinem, nescio cuius negotij gerendi causâ ire jussus sit; in qua solitudine feræ pessimæ grassabantur, nec id Canoaldum latebat (disputasset aliis & dixisset, non est mihi commodum cedere bestiis in prædam, ipse eas, & periculose id iter peragas, sed nihil horum Canoaldus Noster) sine mora obedit, & vicino obedientiae pede in sylvas illas excurrit, excurrenti mox rapido cursu ferox bestia obviam venit, apertis rictibus obedientiae victimam devoratura: At stetit adhuc tanto licet in periculo Canoaldi animus, DEO & obedientiae merito confisus; & stare quoque belluam Magistri nomine jussit, haec curvata ad imperium Canoaldi cervice obedit & imperata facit, domum usque, cicuris instar catelli viatorem comitata. *Qui se ipsum vincit, contra omnia fortis est.*

Tertium motivum esse potest, quia per obedientiam meritorum cumulatur abundantia, seu abundat

meritorum cumulus. Nam per eam etiam ea, quæ bona, quæ meritoria de se non sunt, meritoria & bona imò optima sunt; per eam operans & operatio illa indifferens, redduntur acceptabiles Deo. Quia utique acceptum & placitum Deo est, quod DEUS ipse hunc vult, jubet, exigit; sic autem omne opus (quod obedientia injungit) accipiendum est, quasi à Deo præcipiteretur; Si autem à DEO præcipi præsumitur, nos poterit non esse gratum. Hinc semper obediens Deus charus & acceptus est, & inter dilectos Dei amicos numeratur, dicente Christo, Joan: 15. *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Et quid mirum, obediens sit DEI amicus, si placeat Deo, & inter spirituales Dei amicos computetur, quando obediens & obedientia facit, ut voluntas DEI sic fiat in terra, sicut fit in cœlo à Beatis; unde & dubitavit Bernardus, num Religiosos homines caelestes, an terrestres Angelos debent compellare.

Quartum motivum esse potest, quia per obedientiam DEO acceptissimum omnium offertur Sacrificium, teste Scripturā I. Reg: 15. *Melior est obedientia quam victimæ; & auscultare magis, quam offerre ad patrem arietum.* Si quæras, quomodo obedientia sit sacrificium? R. Sicut per paupertatem offeruntur Deo res externæ & temporales; per castitatem caro & corpus; ita per obedientiam propria voluntas inactata & immolatur Altissimo. Sicut ergo anima & voluntas propria præstantior est corpore & bonis externis, ita & immolatio animæ seu voluntatis propriæ (hoc est obedientia) præstantior est. Hiac Beatissima Virgo S. Aibertum Crispiniensis Cœnobij Monachum (quod Sacrificium Missæ offerre Deo esset impeditus) lamentabundum, solata est, & ab ejusmodi lamentis iussi abstinere, dicens: *Mi Aiberte, Filio meo vita tua omnia juge est sacrificium, quia jugis est obedientia.*

Quintum modum esse potest, quia obedientis

Martyres efficit cultores suos. Quandoquidem obediens quasi proprium caput pro Christo sibi amputat, & caput sibi constituit Christum seu Christi Vicarium. Ausim hic de obedientia dicere, quod de Virginitate Ambrosius: Non ideo laudabilis obedientia, quia in Martyribus reperitur, sed quia ipsa Martyres facit.

Sextum motivum esse potest, quia ad impetrandum quidlibet à DEO, nil efficacius apud Deum quam obedientia est? dicente Gregorio: *Si obedientes fuerimus Præpositis nostris, obediet DEUS orationibus nostris.* Et August: libro de opere Monachorum: *Citius exauditur una oratio obedientis, quam decē milia contemptoris.*

Septimum obediendi motivum esse potest & debet, amor DEI; juxta illud Deut. 30. *Diligas Dominum DEUM tuum, atq[ue] obediens voci ejus.* Hic diligere Dominum presupponitur ad obedire. Qui enim Deum amat, quidni amore Dei libenter obediatur. Unde & Christus ipse dicit Discipulis suis: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Joan: 14. Teste M. Gregorio: *Demonstratio amoris, exhibitiō est operis.* Hoc autem opere (scilicet obediendo) DEI amorem vel maximè demonstrabis, qualiter vel quantum eum diligas: Pro ut nimirum vel languidè, vel celeriter, tepide vel ferventer, cum aut sine mora vel murmure, in omnibus vel in paucis obedire assoles. Obdidit se Patriarcha Jacob ad serviendum Labano pro Rachel septem annis, dicens Genes: 29. 19. *Serviam tibi pro Rachel septem annis: & diligens eam Jacob, servivit pro ea septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* ¶ 20. Si septem anni in servitute, labore, sudore, onere, & onerosa obedientia (quam præstabat Domino suo, in omnibus obtemperans præceptis ejus) videbantur Jacobo dies pauci præ amoris magnitudine, quo ferebatur in Rachelem. Quis non sub jugo obedientiae, sub suavi jugo Christi, suaviter serviat DEO pro DEO, seu propter Deum? si cum toto corde,

totâ animâ diligat? Certè servus quilibet amans Deum suum, quamvis per dura & aspera itinera militatur, tamen difficultates & pericula omnia, Domino amore contemnit.

Ostavus obediendi stimulus esse potest vinculum professionis, quo se obstrinxit Religiosus ad obediem dum in omnibus propter Deum, & abnegandam in omnibus voluntatem propriam. Decernens soli Christo (ceu Regi suo) assumptis præclaris obedientiæ mis militare. (Prolog. Reg:) Ergo si non amor Dei te movet, certè propter obligationem & votum, sed propter servitium sanctum, quod professus es, obedi oportet in omnibus, monente Ecclesiaste 5. Si quid evi sti DEO, ne moreris reddere.

Nonum obediendi calcar addere potest mens Gehennæ; potestque profectò hic metus efficere, q[ui] altem in rebus necessarijs, & in conscientia obligantibus obedire nunquam detrectemus, quin itaq[ue] poterit consideratio Gehennæ stimulare Religiosum pium, ut etiam in rebus duris & asperis (et si non obligantibus ultrò obediatur, & obediendo pro præteritis peccatis p[ro]tisfaciat, quibus dudum jam forte infernum meruit, recedendo à DEO per inobedientiæ desidiam, q[ui] quem modò redire & Gehennam evadere per obedi entiæ laborem adlaborare debet. Certè qui timet Deum, nihil negligit, (dicit Ecclesiast: 7. 19.) sed utique omnibus in omnibus se submittit.

Decimum denique obediendi in omnibus motivum esse potest æterna vita, obedientibus promissa eujus intuitu utique omnis labor debet videri suavis, omnis difficultas facilis, omnis amarities dulcis, omnis molestia deliciosa: præsertim si consideres, quantum Cœli gloria brevi tempore, breviisque valeat obedi entiæ comparari? Certè Dositheus 5. annorum obedientiæ magni Antonij gloriam sibi comparavit, à juventute in supremum statem alijs DEO servientiis. Et Christus p[ro]

pro 33. annorum obedientia, exaltatus est à DEO in tantum, ut acciperet nomen, quod est super omne nomen, utque in nomine ejus omne genu fletteretur cœlestium, &c. Filij hujus seculi obedientiam tam perfectè exhibent propter levissimam mercedem, aut, ut indignationem, vel punitionem evitent vel modicam: quanto majori igitur conatu perfectè obedire Religiosus debet pro mercede æternæ felicitatis, evitandisque Gehennæ poenis, &c. Unde iterum cap: 7. Reg: gra: I. ait S. P. B: *Vitam æternam (quæ obedientibus & timentibus DEUM præparata est) animo semper revolvat, & custodiat se omni hora à peccatis & vitijs propria voluntatis.* Possunt profectò ista sola motiva sufficienter movere ad libenter obediendum in omnibus; nihilominus quia verba & verbalia motiva quidem movent, ast exempla trahunt, placet his motivis etiam exempla Sanctorum, perfectè & sine defectu ex predictis motivis obedientium addere, ut forsitan saltem tibi obediendi motivum efficacissimum sit exemplum.

Undecimum igitur motivum in omnibus obediendi sit Sanctorum exemplum. Quantus amator & exactus observator obedientiae perfectissimæ fuerit S. P. B. constat ex vita ejus, dum initio conversionis suæ Romano obedientissimus eò iter instituit, quò illum Romanus direxit, & in omnibus alijs eidem acquievit.

In S. Anselmo Cantuariensi Archi-Episcopo actuali, quantum fuerit obedientiae studium, patet ex vita ejus, qui, cum ad Archi-Præsulatum illum evheretur, id curabat unicè, ne occasione obediendi, seseque subjiciendi penitus privaretur, ideoque supplicibus precibus Urbanum II. Pont: Max: rogitabat, ut sibi etiam Archi-Episcopo aliquem præponeret, cuius jussis obtemperaret. Datus ergò ei est Edinerus, cuius iussa tanti fecit Anselmus, ut nihil sine ejus iussione faceret; & sese ad quietem reponere jussus, nec latus qui-

dem invertere præsumebat, DEI & obedientiæ amore.

De S. Lamberto Episcopo notum est, quantum obediendi studio tribuerit, dum rigente hyeme jussus orare ad crucem, magnam partem noctis orando insumpsit, nivibus & intensissimo frigore non obstantibus; donec à Superiore (ejusdem interea oblio) reveraretur.

S. Bercharius vocatus ab Abbe, sine mora occurrrens, vas apertum reliquit; reversus tamen nec guttam vini interea effluxisse reperit. Idem S. Magno evenit, qui re & nomine (ac præsertim virtute obedientiæ) verè Magnus, cum aliquando vinum ex vase hauriret, vocante repente Magistro, immemor claudendi valis, solius memor obedientiæ, sine mora accurrerit: stupuit tamen, stetitque ad viri obedientiam vinum, & nec guttula in terram distillavit. Unde & bestiæ in Magno aliquid majus homine cernentes, ullo eidem paruerunt in omnibus; inter quas fuit & ursus, obediens ei ceu famulus obsequentiissimus, & ad omnia imperata paratiissimus minister. Erat ursus (jubente Magno) pomorum custos, ferrifodinarum latentium proditor & index, erat instructor, artem docens, quæ incolæ foderent; erat lignorum & alias rum sarcinarum fidelis bajulus, prout imperabat Magnus.

Fuit & S. Damascenus Noster obedientissimus in omnibus, sine murmure, sine contradictione; à corde tristitiam, ab ore murmur longè proscribens; qui cum Damasci apud omnes in summo honore esset habitus, utpote primarijs antehac in Aula officijs sanctus & inter Confiliarios Princeps & Procerum primus: jubebatur deinde Monachus fiscellas ibidem vendere, sordes Cœnobij purgare: nec murmur resonabat nec querimonia. En heroicam, perfectam, & humilem obedientiam! quam seu Christi amor, seu purgatorijs timor, seu sancti servitij, quod professus est, recordatio,

tio, seu cœlestis gloriæ & vitæ æternæ spes & desiderium provocavit.

Carolomannus Rex, Austrasie Thuringiaeque; Princeps, sago & togâ præclarus, horum terror, abdicatus seculi fastu, sub Regula S. P. B. & Abbe Petronace, Christo vero Regi deinceps militans in Monasterio Cassinensi, ad ollas & lances curandas ac lavandas, reliquaque culinæ ministeria ablegatur, & Coqui duri ac impatientis hominis subditur imperio: exequitur hic Carolomā: iussa pro posse suo exactissimè, quod si tamē leviter sceptri magis quam fasciū culinariū peritæ manus exerasset, mox in promptu severa verborū imò & verberum censura adfuit: dum post contumelias illatas, etiam recentes alapas à coquo impactas devorare debuit, semperque quieto stomacho decoxit. A culina deinde ad caulam promotus, spartam hanc obedientiæ quam accepit, gnaviter ornavit; qui, ut oves servaret, & muneri injuncto exactè satisfaceret, se susque vestes prædonibus exposuit; claudicantem ovisculam humeris suis domum reportavit. Plura exempla obedientiæ & obedientium, sponte omitto. Hoc solùm hic te moneo Religiose: Quod potuere alijs te quoque posse puta. Et horum exemplo omni obedientiæ te subde Majori.

Synopsis & praxis hujus S. I. *Virtutum incrementum continuò querere, per obedientiam, quæ Mater virtutum est.*

2. *Quotidie victoriam reportare de se, & triumphos agere sui in aliquo, per obedientiam.*

3. *Vim meritoriam addere operibus suis per obedientiam.*

4. *Studere assidue placere DEO per obedientiam, quæ omnia dicta & facta, imò & omissiones factorum possimus reddere DEO acceptas.*

5. *Hominem cœlestem, imò terrestrem Angelum agere, faciendo per obedientiam voluntatem DEI in terra, sicut sit in celo.*

6. Immolare DEI iuge Sacrificium laudis per obedientiam.
7. Martyrum se sociare choro, seu dignum se reddere, associari illis in caelo, obedientia virtute.
8. Sibi nihil Christo charius existimare, ut vel si exactius ejus amore in omnibus perfecte obedias.
9. Meminisse voti obedientiae, & vel sic reddere quid debes DEO & Superiori obedientiam.
10. Saltem metu Gehenna in omnibus libenter obdire, ut vel sic certius eam evadas, nam ubi voluntas propria cessat & deficit, infernus metuendus non est.
11. Obedire, quantumvis in difficultibus, propter retributionem vita aeterna.
12. Etiam directori in spiritualibus, seu Patri spirituali obdire, uti S. Benedictus Romano.
13. Exemplo S. Mauri obedire prompte, & etiam in impossibilibus quodammodo.
14. In quaunque dignitate & officio ipse constitutus, obedientia tamen non oblivisci exhibenda, vel alii Majoribus, vel etiam Minoribus, exemplo S. Anselmi.
15. Etiam in duris & asperis obedire, & obedientia penas subire (quantumvis innocens aut excusandus sis) exemplo S. Lambertii.
16. Ex occupatis manibus, & quod agebatur imperfectum relinquendo, currere ad obediendum, exemplo S. Bercharij & S. Magni.
17. Etiam in rebus humilibus & in tuis depressionibus ac confusione aliqualem cedentibus obedire fortiter, exemplo S. Damasceni & S. Carolomanni. Vide, an talis fueris, & esse propone vel stude posthae.



INSTRUMENTUM LXIII.

Non velle dici sanctum, priusquam sit, sed prius esse, quod verius dicatur.

Instrumentum hoc tangit hypocritas, qui cupiunt dici, & videri sancti, antequam sint; simulant se justos, observantes, obedientes, zelosos, uno verbo, devotulos, ut laudentur ab hominibus, Confratribus, Superioribus: de quibus vel certe horum similibus Christus dicit Matt: 6. *Facieis suas exterminant, ut appareant hominibus jejunantes.* Quod si igitur Esaiā teste, cap: 9. 17. *Omnis hypocrita nequam est, nequissimum hoc vitium meritè ab omni Religioso voluit S. P. B. esse alienum.* Monente idipsum S. Paulo Gal: cap: 5. *Non effici amini inanis gloriae cupidi.* Quid enim prodest (ait S. Gregorius) quod omnes laudent vel te, vel factum tuum; si de hoc ipso, quod tam vanam laudem queras, propria conscientia te accuset.

Sunt præterea & alij non tam vanæ gloriæ, quam commoditatis propriæ cupidi, quos Placentinos vocant, qui ad oculum (Superiorum vel maximè) sanctuli sunt aut tales videri volunt, expectantes exinde suam promotionem ad qualequale officium; aut certam accommodationem in vel extra Monasterium, vel quocunque aliud temporale commodum; cuius intuitu se simulant esse, qui non sunt, ut obtinere possint, quod avidè gestiunt: Omnes isti in præsens Instrumentum graviter impingunt, & sive votorum suorum compotes fiant sive non, semper miseri sunt: si enim vel laudem, vel commoditatem & accommodationem, cui inhiant, non acquirant, infelices se ipsosmet dicent, tanquam sua expectatione frustratos: si acquirunt, quod querant? æquè sunt infelices, quia

recepérunt mercedem suam (sed heu quām exilem) nempē temporaneam , momentaneam , vanam pro æterna immensa & inæstimabili mercede retributio- nis æternæ . Sic enim tali mercede receptâ , in futuro mereedem non habent .

Sunt & alij , qui quidem pro scopo & fine suarum actionum non habent vel laudem hominum , vel Su- periorum favorem & complacentiam , sed tamen si contingat eos ab alijs laudari , vel de votos aut sanctos eredi vel dici , in hoc sibi complacent , & sese super ali os interius extollunt ; aut certè ab alijs extolli gau- dent . Cui defectui obviare volens S. P. Benedictus monet , ne sanctus quis dici velit , aut talem se dici pa- tiatur , priusquām sit revera ; sed potius prius ita stu- deat in veritate sanctus esse , ut si ab alijs contingat opus credi , præsumi vel prædicari sanctum , non falsè , non mendaciter , sed veraciter & cùm fundamento in re talis dicatur , vel judicetur esse .

Smaragdus Abbas in hanc rem & hunc locum ait : Sunt , qui non esse conantur , sed dici lætantur sancti . Nomen sanctitatis volunt habere , sed sancti- tatis opus non volunt exercere : ergo qui sanctitatis nomen habere desiderat , necesse est , ut prius sanctitatis opus agere non desistat . Dominus enim filijs Israël non dixit Levit : II . 19. Dicamini sancti , quia & ego sanctus dico : sed estote , inquit , sancti , quia & ego sanctus sum Dominus DEUS vester . Unde necesse est , ut , qui vult dici sanctus , sanctitatis prius agat opus ; ut justè dici possit sanctus , quia sanctus est .

Deinde Matt : 23. 7. Rabbinis ipsis seu Magistris verè talibus , vitio vertitur , quod velint Rabbini , hoc est , Magistri vocari . Unde & Christus dehortatur A- postolos ibidem v : 8. Vos autem nolite vocari Rabbi : id est non solum non ametis vocari hujusmodi hono- rificis titulis , verum datâ operâ subterfugite tales titu- los , & quantum in vobis est , repellite , recusate ac re- pudiat .

pudiate illos. Si igitur Rabbini cognomen vel ipsis
Rabbinis interdicatur ambire, vel gaudenter audire, ne
qualisqualis exinde nascatur superbia, sed ut vanitas
omnis præcludatur; quanto magis sancti nomen, Rel-
ligiosus quisq; refugiat oportet, cum forsan verè san-
ctus non sit, prout Rabbini fuerunt verè Rabbini. Cer-
tè si turbatur Regina Sanctorum omnium (Sanctissi-
ma Virgo MARIA) dum eam Angelus gratiâ plenam
dicit, prout & re ipsa fuit; quidni turbetur potius,
quàm gratuletur sibi Monachus, nondum utique tam
sanctus, qualem se vel videt aestimari, vel audit com-
pellari.

Et hoc est, ob quod S. Anselmus Noster, Archi-Epi-
scopus Cantuar: uberrimas potius fuderit lacrymas,
quàm gloriatus fuerit, dum pro sancto se haberi pro-
clamarique videret. *Edinerus in vita.* Hoc est, ob quod
B. Yso Monachus Sanct-Gallensis, virtutes & miracula
tam sedulò celare, dissimulareque voluerit, tantum
ne sanctus audire cogeretur. *Tom: 2. constantiae Benedic-
tinae.* Hoc est, ob quod S. Odilo Noster Clericum il-
lum à se prodigiosè curatum, & solo attachu, crucis-
que signo ab ulcere læthifero liberatum, cum indigna-
tione repulerit, dum is sanitati restitutus ad Odilo-
nem recurreret, ac gratias referret; quia scilicet ma-
luerunt sancti esse opere, quàm vulgo dici. Nonne
generosa ista sanctitas est, sanctum esse aut conari esse,
sanctum verò dici, & laudibus celebrari, prorsus ab-
nuere. *Hac est utiq magna virtus* (ait S. Bernardus)
& summa securitas, quando & piè vivis, & tamen plus
attendis, quæ defuncti tibi, quàm quæ jam obtinueris; obli-
viscens bonorum operum (que retro sunt) & extendens
te ad anteriora. Magna hæc sane virtus est! Nam

Rarior in terris quidnam est, quàm nolle videri,

Sed nec iudicio grande quid esse suo.

Quæres, quid nomine Sancti propriè intelligatur,
qualem nominari in hac vita prohibuit hic S. P. Bene-
dictus?

dictus i Respondeo : ad veram sanctitatem requiritur, ut quis non una vel altera virtute sit praeditus, sed ut omni virtutum genere sit ornatus ; ut non solum excellat in uno sed in omnibus ; alias si vel in uno virtutum genere deficit, & defectuosus seu vitiosus deprehenditur, jam sanctus non est in rigore loquendo. Quis autem ille, qui sine nævo sit, qui sit omnis criminis expers ? Hinc ergo errant quam maxime, qui jam sanctos esse se putant, dum vel unica virtute pollent. Erit forte, qui orationi frequenter & libenter incumbit, particulares precatiunculas quotidie percurrit, aut etiam cum gemitu aliquo vel cordis teneritudine peccata præterita DEO confitetur, jejunium vel abstinentiam aliquam, certamve aliam mortificatiunculam exercet, & ecce ! *Jam querit digito monstrari ; & dicier* : hic est. Sanctum se putat, quantumvis millesimis alijs vitijs scateat. Hoc errore decepti leguntur fuisse multi Eremicola, de sua sanctitate sibi blandientes, quasi nemo sit illis similis in terra, aut æqualis quoad sanctitatem ; quibus tamen DEUS ostendit defecctus quamplurimos, in quibus à vera sanctitate deficerent, atque ab alijs levis conditionis hominibus in sanctitate excellerentur.

Placet etiā hanc in rem referre verba Ansel: Bisling. digres: 12. num: 4. dicentis : Utinam hoc assidue recogitare studeret quisque Religiosorum. Qui forte recenter & modice à seculi vanitate & moribus conversus, philacteria sua dilatat dicens : *Dives sum & locupletatus, devotus sum, perfectus sum, sanctus sum.* Et nescit, quia miser est & miserabilis, & pauper, & caecus & nudus. Apoc: 3. 4. Vidisti quandoque pueros, qui propter unam exilem rubeam ligulam laceratæ manicæ affixam, seu novam laciniam veteri vestimento assutam, valde se pulchros & decoros existimant, circumquaque se aspiciunt, sibi complacent, ostentant, gloriantur, amantque ea propter laudari ; his

his simillimi sunt Religiosi illi, qui videntur sibi coram DEO magni, in devotione perfecti, vereque sanctuli, dum sensibilem fortè in orationibus devotionem habent, aut lacrymarum gratiam; & ecce jam familiarissimos DEI amicos se putant, cùm tamen multis adhuc vitijs sint obnoxij, & in passionibus suis animalibus necdum mortificati. Quid enim devo-
tiones illæ externæ, vel etiam unus altervè actus vir-
tutis internus est, nisi rubra ligula seu nova lacinia ve-
teri centoni & homini vetusto, etiamnum mille de-
fectuum centonibus consuto, superinductæ?

Sed esto quis esset prorsus sine nævo, sine crimi-
ne, sine defectu pro tempore: an propterea jam san-
ctus dicendus & habendus est? Certè minimè. Lau-
da post vitam (ait S. Maximus) magnifica post con-
summationem. Quia Sanctus in hac vita proprié di-
ctus, ille solus dici potest, qui imprimis mundus est
ab omni nævo & inquinamento peccati, atque in bo-
nis seu in virtute exercenda assiduus, habituatus, fir-
matus & constans; seu qui in sanctitate vitæ quan-
dam jam firmitatem habet. Juxta quod S. Thomas
2. 2. Qu. 81. A. 8. ait: Sanctitatem importare duo:
nimirum perfectam munditatem, & firmitatem in ea.
Quod si ergo non sola virtus, sed firmitas in virtute re-
quiratur ad sanctitatem veram, quis verè sanctus dici
queat, aut dici amet (utut mundus à peccato sit, utus
DEI & virtutis pro tempore amicus sit) cùm firmita-
te careat, aut certè eam sibi promittere non posuit?
O ego quid faciam, (exclamavit sacer Poëta) &
merito:

O ego quid faciam, si nec pulcherrimus ipse
Lucifer, infonsis nomen habere potest.

Fortè DEUS parcer cineri, qui Ditis ad antra

Principites Genios ultor abire jubet.

Vidi ego (quos mundi solidissima fulcra putasse)
Nicer in mores degenerasse malos.

Nil igitur sanctum verè est, ubi sume Deum Rex
 Subducis dextræ robur, operique tua.
 Claudit integratas, sua si custodia desit,
 Cura sui nibil est, praesidis orba DEI.
 Subtrahat ille manū, cadimus; pia brachia tendas
 E desperatis casibus erigimur.
 Quam si omnes instabiles, ut fulciat ille ruinam!
 Quo sine Riphæum peclora frigus habent.
 Virtus nostra diu non stat: conatibus absit
 Numen; it in fumos: illicè descit opus.
 Virtuti ne crede tue: constantia (crede)
 Nulla est humanis insita peccoribus.
 Eripit infelix placidam discordia pacem,
 Vidaque desidie subjacet impigritas.
 Divino cor amore calet? mox cana pruina
 (Restincto tepidi cordis amore) subit.
 Nunc gravis es; Curiamque refers, aliquemque Catonem
 Fis dicto citius morio, vappa, puer.
 Vertumnum dum vivis, agis, &c.

Quis igitur se sanctum dicat, aut dici gaudeat, qui
lum constans est in inconstantia.

Vita hominis est similis naviculae, quæ mari com-
 mittitur alto: hæc quam diu in mari est, nunquam
 extra periculum est; crebris ventorum flatibus,
 rijsque agitata procellis, mergi haud difficulter potest;
 quæ illæta constitit haec tenus: Non ergo Religiosus
 quisquam utut pius, dici sanctus amet, cum crebris
 ribus tentationum ventis expositus, uno momente
 adeptæ sanctitatis jacturam facere possit, si vel sensu
 succumbat. Nomen ergo Sancti in hoc statu motu
 & incerto, affectare aut sibi arrogare, nimis quam ar-
 gans, impudens ac imprudens est. Religiosus ergo
 cum fecerit omnia, quæ præcepta sunt ei, dicat potius
 monente Christo Lucæ 17. Setvus inutilis sum, quia
 ut sanctum se nominet vel reputet, aut nominari re-
 putari vix gaudeat. Si magna vis facere mirita tua
 Chri-

Chrysostomus homil: 38.) ea ne magna putas, & tunc magna erunt. Cæterum (ut Poëta ait) Mezlerus:

Nil agis, & nihil es, nisi te submittere sicutus,

Te fugis; & nihil te minus esse putas.

Dicito (Christus ait) legum post iussa peracta,

Ponderis ullius non fuit iste labor.

Fecimus officium servile, nec amplius hilum;

Nec quia jam sancti credimur esse, sumus.

Præterea nota ad observantiam hujus Instrumenti perfectam, satis non esse, nolle sanctum dici, dum quis non est: sed præterea debere quemlibet Religiosum conari sanctum esse, ut cum veritate sanctus dici possit. Quippe ut Gerardus in hunc locum ait: *Quisquis ex Monachis & quibusvis Religiosis non conatur fieri & esse re ipsa sanctius; sane nunquam fuerit nec erit bonus, nedium Religiosus, nendum Monachus; quandoquidem Monachis & Religiosis omnibus propositus est perfectionis status, ad quem eos emit, eluctariq; oportet. Et quisquis ed currere non satagit, hoc ipso est reprobus. Et eheu quantum ab eo conatu abest, ut fiat sanctus, quando vir curat aut conatur fieri bonus?* Hæc ille. Flat reflexio ad præterita & futura: præsertim quoad studium & conatum proficiendi, atque in virum sanctum evadendi. Certe et si non teneamus sancti esse, tenemur tamen velle sancti esse. Ethoc innuere voluit S. P. B. prohibens quidem velle sanctum dici, jubens tamen velle sanctum esse: hæc enim vocula velle etiam in posteriore parte hujus Instrumenti subintelligitur, ita ut sensus sit: Religiosum non debere velle dici sanctum, priusquam sit, sed debere tamen velle fieri & esse sanctus, quo verius possit dici sanctus, qualis omnis Religiosus esse deberet. Et tunc certe talis voluntas (quantum est de se) efficax evadendi in virum vere sanctum, utique sanctissima & DBO gratissima est, juxta illud: *Si defunt vires, tamen est laudanda voluntas.* Et certe, quin à tali sincera volitione & intentione sanctitatis.

ipsa realis sanctitas dependeat, testatur Poëta dicensi

Vis bonus esse, velis tantum : sis namque, volendo.

Is tibi posse dabit, qui tibi velle dedit.

Testatur id ipsum etiam experientia ; & historia, quae refert Nicol: Lanc: opus: 5. 6. 22. de Maria Bonaventura Ordinis S. P. B. Sanctimoniali, circa annum Christi 1626. quae fuerat non solum genere nobilissima, & formâ venustissima, sed insuper docilitate & ingenij sagacitate ornatissima, iudicio supra ætatem matura, mente generosa, & innatâ quadam prudentiâ præcellens, ast spiritualibus rebus minus addicta ; quas nauseabit potius, quam amabat, ad secularia, ad lætiora proclivis. Cum verò videret alias ejusdem loci, nempe Monasterij S. Franciscæ Romanæ Professas, annuis spiritibus exercitijs sese excolere, ipsa quoque pium opus cum cæteris aggredi persuasa est, quamvis ægris ad id induceretur. Sed ecce quantum subito fuit mutata ab illa ! quam ignitos in voluntate motus, quam intensos pietatis & sanctitatis affectus seu sensit seu elicuit ! Nam insveto fervoris æstu succensa, mox se tam DEO scriptâ propriæ manus syngraphâ in humerum devovit : Hanc obligationem DEUS meus, & propositum, quod facio (scilicet avellendi me à rebus omnibus, quæ me possunt à tuo sancto elongare servitio) tam libenter facio, ut si post mea obsequia totâ vitâ impensa volueris me detrudere ad infernum, ero contentissima, dummodo in me tua sanctissima voluntas adimpleatur. Et hoc propositum fecit post unam unicam, eamque primam de fine creationis suæ meditationem. Postero verò die cum praefatus ē Societate JESU Nic: Lancicius exercitorum director & Confessarius ejus reverteretur, eundem affecta est : Pater, non oportet amplius jocari cum Deo, agnovi, quid à me velit DEUS, quid nolit. Volo tota esse Dei, & totis viribus conari (NB.) ut ob maiorem gloriam DEI sine morâ ullâ sancta evadam, non queram

Iscunque, sed magna & citò. Sicut dictum, sic & factum est. Quippe cuius vita fusius per præfatum Lanicium in citatis opusculis sparsim descripta & lecta longè dignissima, merum deinde fuit absolutissimæ perfectionis & sanctitatis exemplar.

Quid ad hoc Religiosi viri DEO addicti? an vultis dici sancti, priusquam sitis, & non potius cum Maria Bonaventura prius esse, quo verius dicamini? an non videtis, quantum possit vel unica generosa resolutio, & seria voluntas evadendi in sanctum, ut talis cum veritate dici merearis. Lubet hæc repeterem, quæ dixi: Vis bonus, vis sanctus esse, velis tantum: sis namquæ volendo: Is tibi posse dabit, qui tibi velle dedit. Verumtamen oportet, ut resolutio hæc non sit pura velleitas, sed seria voluntas: non votum inefficax, sed efficax desiderium; non simplex de sanctitate complacentia, sed efficax intentio cum applicatione mediorum; inter quæ potissimum & principale seu fundamentale remedium est, quod S. P. Benedictus Instrumento immediate sequenti subjungit, scilicet præcepta DEI factis quotidie adimplere; quibus si addideris exactam sacræ Regulæ observationem, ut præcepta Regulæ in omnibus quotidie ad amissim observes, Sanctus (promitto) fies, non qualiscunque, sed magnus & citò.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. 1. Non se simulare justum, devotum, zelosum, obedientem, obseruantem, ut vel laudem obtineas, vel gratiam ineas apud alios.

2. Hypocritam non agere ob spem promotionis, officij, &c. sed potius re ipsa agere hominem sanctum, hominem Religiosum, hominem DEO devotem, esto propterea non promovearis.

3. Non solum non querere ex intentione & proposito laudem: sed etiam laudem per accidens obvenientem averisci, & nunquam animo extolli, exemplo S. Anselmi & Odilonis.

4. Omni modo conari, ut sanctus sis, omni modo fuisse, ne sanctius dicaris, celando potius virtutem & sanctitatem, exemplo S. Yffonis.

5. Non uni tantum virtuti addictum esse, sed omnibus virtutibus genere ornatum; alias minimè sanctius es.

6. Propter unam vel alteram virtutem se nunquam extollere; quia si unam babes, scito multò plures esse, quibus cares.

7. Non solum bona exercere, sed etiam in bonis & virtutibus se reddere habituatum, firmatum, constantem, qui enim pro tempore sanctius est, non pro semper, jam satius non est.

8. Sanctitati omni modo studere, seu perfectionis studio instarem, quisquis eo non emititur, reprobissus est, illud quod Religiosus (licet non teneatur sanctius esse) teneatur tamen velle sanctius esse.

9. Magno desiderio & seriā voluntate ac resolutione ferri, ut vere evadas sanctius, exemplo Mariae Bonaventuræ; nam si via sanctius esse, velis tantum (sed efficaciter quantum est ex te) sis namq; volendo, qui tibi velle dedit, etiam posse dabit.

10. Servare præcepta DEI & præscripta Regulae his alis ad sanctitatis apicem facile evolabis. Examinate super hisce punctis, quid de præterito feceris, & de futuro facere velis.

INSTRUMENTUM LXIV. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.

Quia non sufficit ad salutem, quomodounque & inefficaciter velle esse sanctum, sed operatur bonam voluntatem in effectu ostendere, neque satis est habere velleitatem & propositum adimplendi præcepta DEI, nisi etiam in opere impleantur,

tur, idcirco occurrere volens S. P. Benedictus multorum errori, qui volunt beati & sancti esse, sed vera media differunt aut negligunt adhibere. Hinc hic præscribit unicum salutis & veræ sanctitatis remedium, nimirum præcepta DEI adimplere factis. Tria igitur circa præsens Instrumentum discutiemus, primò: quibus ex motivis & causis præcepta Dei adimplenda sint omni conatu? Secundò: Cur S. P. B. dicat adimplenda esse factis? Tertiò: Cur & quomodo quotidie?

Sunt imprimis præcepta DEI omni conatu adimplenda omnia & singula, multiplici ex causa. Primò, propter præcipientis dignitatem, autoritatem, & Majestatem. Secundò, propter præcipientis rigorositatem, & severitatem. Tertiò, propter dilectionem & gratitudinem præcipienti debitam. Quartò, propter ipsorum præceptorum facilitatem. Quintò, propter adimpletionis suavitatem ac jucunditatem. Sextò, propter adimpletionis seu adimplentis utilitatem. Quod ad pri-
mum attinet, quanto digniores, eminentiores, excellentiores sunt Domini, tanto servi ad obedientiam solent esse promptiores; quis autem Dominus est ut DEUS? qui est magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis? Ergo reverentia Dei, summi Dei, veri Dei te compellat Religiose ad servanda mandata ejus, compellat & timor, de quo Ecclesiastes cap: ultimo: *DEUM time, & mandata ejus obserua*, quippe qui potestatem habet & animam & corpus transgressoris perdere in Gehennam; compellat & amor, quem DEO debes, ut observes mandata ejus. Quippe signū dilectionis est exhibitio operis. Et Christus Joan: 14. ipse dicit: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Compellat & gratitudo ad mandatorum Dei spontaneam adimpletionem; Quia ut Hieronymus ad Celantiam scribit: *Quid tam ingratum videri possit, quād adversus ejus vivere voluntatem, à quo ipsum vivere accepterū*.

Denique vel ipsa præceptorum facilitas ad eorum
observantiam merito nos deberet allicere & pertrahe-
re. Siquidem Deus ipse Deut: 30. testatur: *Mandatum,*
quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te. Et Joan:
ep: 1. cap: 2. ait: *Mandata ejus gravia non sunt.* Chri-
stus vero Matt: 11. asseverat: *Jugum meum suave es-
& onus meum leve.* Si quæras, quomodo facilia
suavia, levia dici queant DEI mandata, cùm multis
accidant tam difficultia, tam acerba, tam gravia? 19.
Facilia sunt, suavia sunt, levia sunt amanti, & virtu-
tes frequenter exercenti; quia ut August: ait: *Laborē
amantium non sunt difficiles.* Hanc verò facilitatem,
quæ ex amore provenit, auget ipse acquisitus cum
tempore virtutis habitus, qui utique ex natura sua dat
facile posse. Cui ergo præcepta Dei gravia sunt, si
culpā id accidit, quia non amat, quia in virtute se non
exercet, & habitum procurare negligit. Cæterū
manti & volenti nihil difficile est; facilia & possibilis
sunt omnia. Si ergo Chrysostomo teste: *Quantò le-
viora sunt præcepta, tanto majus supplicium his est,* qui
non obeditent; Nonne omni studio curandum, conan-
dumque Religioso est, ut Divina adimpleat præcepta?

Neque solum facilia, sed & suavia sunt præcepta
Domini, dicerite Ecclis: c. 18. *Nihil dulcius, quam re-
spicere in mandatis Domini.* Nec solum suavia, sed &
utilia, summèque prolicua sunt homini, quippe quibus
solis aperitur homini introitus Regni cœlestis. Unde
& Deut: 5. dicitur 32. *Custodite ergo, & facite ea, quæ
præcepit vobis DEUS,* & non declinetis neq; ad dextram,
neq; ad sinistram, ut vivatis, & bene sit vobis. Deinde
Proverb: 31. dicitur: *Præcepta mea cor tuum custodias,*
longitudinem dierum, annos vite & pacem apponens tibi. Et cap: 6. 23. *Qui custodit mandatum, custodit ani-
mam suam.* Et Jerem: 7. 23. dicit DEUS: *Ambulat
in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.* Ei-
joan: 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabis,*
& p*v*

Et Pater natus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. En utilitatem! Si ergo Religiosus bonum utile, si delectabile quærerit, si vult ad vitam ingredi, si vult, ut sibi bene sit, si vult longitudinem dierum, annos vitæ, pacemque habere, si vult custodire animam suam, si vult à DÉO diligi, & diversorum fieri DEI Altissimi Patris & Filij & Spiritus Sancti? servet mandata, & obtinebit hæc omnia.

Verum hic observa præcepta Dei adimplenda esse factis, ut loquitur S. P. B. Factis inquam, non nudis verbis: Factis, non velleitatibus nudis, factis non meritis inanibus propositis, juxta id, quod & Apostolus monet Rom: 2. Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Neque omnis, qui dicit: Domine Domine, intrabit in Regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, dicit Christus Matt: 7. II. Ecce hoc? quia nimirum regnum Dei paratum non est, nisi diligentibus DEUM, juxta illud Pauli: Nec oculus vidit, &c. quæ DEUS paravit his, diligentibus eum: Nemo autem diligit Deum, qui mandata ejus non custodit, seu non adimpleat. Solùm enim ille (ait Christus Joan: 14.) qui habet mandata mea, & servat NB. ea; ipse est, qui ditigit me; Id est: qui habet in memoria, & servat in vita: qui habet in cogitationibus, aut etiam in sermonibus, & servat in moribus: qui habet audiendo, & servat faciendo. Et iterum Joan: 8. dicitur: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in eternum: Non dicit Apostolus, si quis sermonem meum audierit, cognoverit, sciverit, &c. sed si quis sermonem meum & voluntate & opere servaverit. Quid enim prodest voluntatem Domini scire, sed non facere? certè servus sciens voluntatem Domini, sed non faciens, (Matt: 7.) quid reportabit lucri? vapulabit multis. Atque hoc est, quod S. P. B. in Regula præcipit, ut verbum Dei (seu sanctum Evangelium) stan-

do & cum tremore audiatur. Hoc est, ob quod universalis in Ecclesia, eaque laudabilis consuetudo introducta est, ut, quoties factum Evangelium seu in Missa, seu in Concione legitur, stando audiatur, ut hoc ipso corporis situ (hoc est stando) demonstremus patratos nos, & expeditos esse ad currendam viam Divorum mandatorum, quae nobis preleguntur; non contenti esse tantum auditores verbi, sed & factores ac executores.

Non ergo satis est DEI praecepta adimplere velle in operibus, sed operibus & factis: neque sufficit audire & scire legem voluntatemque Dei, sed exequi, sed perficere eam; alias errat & procul aberrat, qui habet & novit mandata, sed non servat ea: quia scienti bonus & non facienti, peccatum est illi. Jacobi 4. Hinc iterum iterumque I. Joan: 37. monemur: *Nemo vos seducat, qui facit iustitiam, justus est.* Id est, solus ille est justus, qui facit opera iustitiae, solus ille sanctus, qui operibus sanctitatem comprobat, aliud si docemini quoeunque spiritu, seducimini: Ergo nemo vos seducat, nec vos seduci permittite Religiosi, qui facit iustitiam, justus est; hanc qui non facit, justus non est. sanctus non est. Et hoc ipsum est, quod innuere Jacobus alibi (cap: I.) voluit, dicens: *Estate factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Ubi observatione dignae sunt postremae particulae: fallentes vosmetipsos: quibus insinuat aperte, quod, qui factis legem Dei non implet, semetipsum fallit & turpiter decipit, quia talis sanctus non est, justus non est, & consequenter nec debetur ei corona iustitiae, haec enim non debetur nisi ei, qui facit iustitiam. Sed sunt tamen de quibus Poëta conqueritur Mezler, lib: 3. c. 3.

Affectus non nemo pios gerit; attamen idem

Nil agit, affectus ut pietatis alat.

Nescio, quid certe est, volumus gens sancta videri,

Interea studijs turba profana sumus.

Huic ergo malo & errori occurrere volens S. P. B. vult, ut non tantum geramus affectus pios, aspirantes ad vitæ sanctitatem, sed etiam effectus præstemus, & ipsam affectuum sinceritatem demonstremus in effectu; utque non tantum velimus gens sancta vide ri, sed etiam media sanctitatis applicemus, & manum operi admoveamus. Non simus ad instar cati, de quo non nemo Vatum: *Catus amat pisces, sed non vult tangere flumen.*

Quid ergo sibi vult particula illa quotidie, dum dicit Sanctissimus Legislator: Præcepta Dei adimplenda esse quotidie? *W.* Intelligi posse, quod sint adimplenda toties, quoties occurrunt & urgent hujusmodi præcepta, si verè & in rigore præcepta sint; vel denique, si sint consilia; adimplenda veniunt toties, quoties occurrit occasio. Ly ergo quotidie idem sonat hic ac assidue, sine intermissione seu interruptione per actum contrarium. Sic & Psaltes psal: 97. ait: *Quomodo dillexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Quomodo tota die?* utique quod quotiescumque per diem occurrerent mandata DEI observanda, observaverit semper, & semper de ijs observandis solicitus fuit seu actualiter, seu virtualiter, seu habitualiter: Vel denique ly quotidie denotat idem hic, quod alibi apud Psalmistam ly *in aeternum.* *Inclinavi* (ait) *cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum.* Quomodo autem sunt justificationes Domini in aeternum, nisi quando ab illis non disceditur, sed toties observantur, quoties observanda occurrunt; Eodē ergo sensu vult S. P. B. mandata Dei adimpleri quotidie, id est assidue: toties, quoties: nullo die, nullo tempore excepto; ne aliquā horā nos inutiles servos factos aspiciat Deus (ut alibi S. P. loquitur) & sic nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui tali tempore eum non luimus sequi ad gloriam.

Potest ergo ly quotidie intelligi, ut non defici-

mus aliquando ab adimpleione præceptorum, qui se
mel jam cœpimus ea adimplere. Prout pulchrè ex-
plicat Textum illum Smaragdus Abbas, qui habet
mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me: quia
habet (ait) faciendo, & servat perseverando, ille san-
ctus, qui diligit me.

Sed dices: quis est hic, & laudabimus eum, qui
tantam sibi constantiam possit promittere in custodiens
dis mandatis Dei? cum homo & hominis virtus in
Justitia, quasi flos quidam egreditur; facile conteri-
tur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem stu-
tu permanet, adeò ut quisquis etiam pīissimus Religi-
osus cum Poëta dicere & ingemiscere possit. (Mecat-
libro 3. cap: 33. & 34.)

Vivit inexstinctus etiamnum carbo favillæ

(Prob dolor) & non siem mortuus ipse mihi!

Intellina gerunt etiamnum prælia sensus

Et mens; nulla quies, pax quoq; nulla mihi el-
Verum ut ut ista verissima sint, juvat tamen in auxi-
lium vocare DEUM, juvare paratissimum, cum e-
dem Vate sic pergente:

Attamen ô JESU motor componito fluctus

Qui potes Oceani: surge, inopemq; juva.

Litus amaticem violentius obrue carnem,

Illijs & vires viribus ange tuis.

Exere virtutem, sanctæq; potentia dextra.

Clareat: extra te spes mea namq; jacet.

Plus quam septennis vicibus mutabilis; uno

Vix unquam soleo strenuus esse die.

Mox tamen ut visum fuerit tibi, fortior exte-

Auxiliatricem te mibi dante manum.

Deinde potest etiam intelligi sic, ut non differamus
adimplere præcepta Domini, sed quotidie, id est, vel
hodie incipiamus diligere & executi mandata Domi-
ni, non differentes eorum adimplezionem de die in
diem. Sicut fecit adolescens ille genere nobilis, sed
non

non virtute ; divitijs locuples, ast ditior vitijs : de quo S. Antoninus Part. 2. Summæ. tit. 9. c. 13. §. 5. Is ergo quotidie Deum rogavit, ut se mori non sineret, nisi præmonitum de appropinquante fato, ut tunc saltem inciperet Divina adimplere præcepta, quæ per decursum reliquæ vitæ tam liberè præteriret ; ut vel sic posset ad vitam ingredi servans mandata in fine vitæ. Sperabat nempe tunc, præteritas omnes præceptorum Dei prævaricationes seriâ pœnitentiâ deleaturum, & recenti mutatione emendationeque vitæ, præterita mala compensaturum omnia : Et ecce, quia vel oratio modica tantæ est apud Deum efficacæ, vel DEUS tam pius, ut etiam peccatoris preces quandoque exaudiat, has quoque exaudivit, & Angelum bonum misit, qui eum certiorem redderet de precibus exauditis, significans eum minimè moriturum sine mortis prænuncio. Et quia securitas audaciam parit, etiam juvenis iste misellus, securus de mortis prænuncio, fatuus est audacior Divinarum legum transgressor, & protervus voluptatum amator. Occinens illud sibi : *Coronabo me rosis, antequam arefcant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria mea.* Sed non diu post, luxuriantis in delicijs suis adolescentis caput dolor occupat, febris corpusculum ; jamque amici & consanguinei periculum infestum observantes fudent juveni ægro, Confessionem peccatorum, detestationem anteactæ vitæ, novæque vitæ propositum & inchoationem. Quibus ille respondit illud unicum : *Nondum venit hora mea : infirmitas hæc non est ad mortem.* Verum non remittente, sed ingravescente morbo iterum instant, & urgent cognati ac vicini, ut suæ tandem prospiceret saluti. Sed quid æger ad hæc : nondum est tempus ; faciam hæc, ubi convaluero ; moriturus suo tempore omnia hæc, & universa mandata Dei adimplebo. Et quia magis magisque malum invalesceret, tertium adsunt Amici & Sacerdotes, hortantur,

tur, rogant, ut Christiani morituri officium & unà Dī
vina præcepta adimpleret. At ille certiorem mors
expectans Nuncium, nihil egit. Dumque sic moran
trahit, adstat illi cœlestis Nuncius (nempe idem bonu
Genius) annuncians ei migrandum jam esse ; mor
tem jam stare ad limen domus suicinctam, & paratau
eum è medio hinc tollere, abeundum nunc esse, ne
amplius quidquam induciarum concedi : Jam mon
fatale torquet spiculum, percussus interibis. Dixit ha
Angelus, & simul vixit infelix adolescens ; hoc est vi
vere desijt, futurus sanè beatus, si non traxisset tem
pus in servandis mandatis DEI, sed ea quotidie potius
incipiendo adimpleret. Hoc ergo præcavere volent
S. P. B. à suis Religiosis, monet præcepta Dei quotidie
adimplere, non differendo custodiam mandatorum
Dei de die in diem.

Si quotidie adimplere oportet Divina præcepta
ergo vel hodie incipe, ne mors prius, quam incipias
præveniat te, quæ senibus est in januis, juvenibus sem
per in insidijs. Serum est tunc incipere vivere, cum
definendum est : tunc primò incipere adimplere præ
cepta DEI, cum jam tempus retributionis instat, quo
rediturus sit Dominus unicuique juxta opera sua.
Absit, ut dicat Religiosus id, quod alias profanus, mun
danus homo, dicere potest : adhuc sum juvenis, & in
dimidio dierum meorum, adhuc facio faciamque se
liquamdiu, quod me delebet, quod caro, quod mun
dus suggerit aut præcipit, suo tempore etiam Dei im
plebo præcepta, nunc carnis, nunc mundi libeat lice
atque implere: omnia tempus habent. At forte tem
pus erit nullum, quo tibi tempus erit servandi præcep
ta DEI, quæ pro tempore contemnis, quæ hodie &
quotidie non observas.

Synopsis & praxis hujus Instrumenti. I. Præcep
ta Dei adimplere tum ex amore, tum ex timore &
verentia, tum ex gratitudine.

2. Non causari difficultatem in adimplendo Dei præcepto, quocunq; tandem, sed potius facilitatem sibi facere per frequentatos actus. Vide ergo, in quo præcepto majorem difficultatem sentias, & in eo te frequentius ac libentius exerceas.

3. Saltem propter bonum, utile, propter aeternum, & immensum primum præcepta Dei quotidie adimplere.

4. Factis non verbis, non velleitatibus, aut nudis propositis ferri in legem Dei.

5. Non solum quotidie præcepta DEI, aut sacra Regulae, vel etiam dicta S. Evangelij quotidie audire, sed quotidie factis etiam adimplere.

6. Præcepta Dei obligantia adimplere semper, consilia verò toties, quoties occurrit occasio.

7. Quotidie adimplere, hoc est, à bono non deficere, non desistere agere bene.

8. Quotidie adimplere, hoc est, non differre adimpletionem, sed vel hodie incipere, ne priusquam incipias, temors præveniat. Vide, an ea sic quotidie adimpleveris, aut quomodo posthac adimplere velis.

INSTRUMENTUM LXV. Castitatem amare.

I. Tim: 5.

SExagesimum quintum honorum operum Instrumentum est castitatis amor: & certè ponitur hoc ipsum Instrumentum post priora duo, eo quod nemo sanctus esse vel dici possit, qui castus non est. Nam ut Aug: ait: *Castitas sola est munimen invictum sanctimoniae, sanctitatis indicium, claritatis fastigium.* Sed nec juvat reliqua præcepta Dei factis implere juxta præcedens Instrumentum, nisi contingat & castitatem amari, illibatèque observari, juxta id, quod S. Noster Gregorius ait: *Unum sine altero DEO placere nemo*

quaquam potest, si aut *is*, qui bona agit, adhuc luxurii inquinamenta non deserit, aut *is*, qui castitate præmet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas enim magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate. Et Chrysostomus in Matth: de Virginibus loquens, ait : De ratione prudentis Virginis efficitur sit sancta corpore & spiritu, ut non solum opere non peccet contra castitatem, sed etiam abstineat ab omnino malo, quo spiritus & anima inquinatur ; quando corpus fornicatur, quando cum viro conjungitur, anima autem, quando diaboli voluntatibus in quocunque genere sociatur. Anima ergo, quæ hæc non servat, quæ castitatem simul, & reliquam vitæ sanctitatem non conjungit, fatua Virgo est ; & verè fatuidum per solam Virginitatem corporis putat se placuisse DEO, si de cætero faciat, loquatur, cogitet, quæ dispercent Deo.

Rectè ergo prioribus Instrumentis subjungitur instrumentum præsens de castitate, circa quam confundenda veniunt quatuor : 1. Quid sit castitas, & quid sit eam amare, curque hic jubeamur non tam servare quam amare eam ? 2. Quænam bona conferat castitas, seu quænam sint motiva amandi illam ? 3. Quænam media & præsidia sint, conservandi illam ? Quæ omnia tribus ss. pro materiæ hujus præcellentia expedientur.

Q. I.

Quid sit castitas, & quid sit amare eam ? curque jubeamur non tam servare, quam amare illam ?

Castitatis perfectæ & compleæ nomine intelliguntur cordis & corporis incorruptiones ; illa enim est vera castitas, quæ nec corpus finit polluit, neminem maculari, prout ait in hanc locum Smaragdus

dus Abbas. Unde non sat est ad castitatem perfectam corpus servare aut habere impollutum ; nisi ab hujusmodi peccati inquinamento itnpollutus servetur & animus. *Nihil prodest incorruptio carnis, ubi deest integritas mentis.* *Nihil juvat mundum esse corpore, qui pollutus est mente.* Sunt tamen forte multi, qui carnale quidem commercium cum foemina non habuerunt in corpore, desiderant tamen illud in mente. Et propterea frequenter fit (inquit cit: Author) ut nupta melior sit, quam illa, qua Virgo est corpore, animo autem fornicaria. Econtra sicut satis non est corpus servare impollutum & non animum, sic econtra satis est , animum habere castum & impollutum, esto invitis & inscijs contingat corpora maculari. Prout certè S. Lucia ad Tyrannum dixisse legitur , *si invitam jussoris violari, seu corpus feceris invitæ commaculari, meritum mibi duplicabitur ad coronam.*

Vis scire ergo Religiose , quid à te perfecta castitas requirat : hoc scilicet, ut caveas vel maximè tria vitia in cogitatione, tria in verbo, tria in opere : Quoad castitatem animisive in cogitatione, cave negligentiam in repellendis turpibus desiderijs, morosam delectationem, voluntarium consensum. Tria item vitia in verbo tibi interdicta sunt, si perfectè castitatem ames : nimirum colloquia sensualia, parum honesta, & omnino turpia. Tria item in opere : aspectus, oscula, tactus inverecundi. Ab omnibus his immunitis sis, oportet, si castitatis amans es. Talem enim tamque perfectam & quasi Angelicam castitatem hic S. P. B. à te exigit, dum indefinitè castitatem amare jubet, scilicet castitatem in animo & corpore, castitatem in cogitatione, verbo, & opere ; quis enim dubitet indefinitam propositionem hic quoque æquivalere universalis, utpote in materia necessaria ; scilicet ad salutem. Ex his habes Religiose, quid sit castitas quoad naturam suam, & quoad obligationem tuam.

Si verò scire velis, quid sit castitas quoad laudem & encomia, quibus à SS. PP. ornatur, Cyprianum consule lib: de bono pudicitiae; ubi castitatem vocat probitatis præsidium, improbitatis excidium, fortitudinis firmitatem, animæ victoriam, corporis suppressionem ubertatem gloriæ, pronubam sanctitatis, repudium turpitudinis, hostem immunditiae, exercitium pudoris, custodiam virtutum, exilium corruptionis, & triumphaticem omnis dissolutionis.

Nec minus facundus est in castitatis encomijs Ephrem: To: I. serm: de castitate: Juxta quem castitas est, quæ oculorum licentiam frenat, carnem castigat, & in servitutem redigit, cor possidentis letificat, & animad cœlestia elucclanti alas adjungit, spirituale gaudium perficit, marorem aufert, passiones minuit, pigritiam depellit, patientiam affert, posseborem suum ceu currus spiritualis in sublime evehit. Hæc rose instar in medio aurema & corporis floret, universamq; domum odoris fragria replet. Inhabitare in domo anima Spiritum S. fecit, homines Angelis similes reddit, & Agnum cœlestem cœquitur, quoctung ierit. Hæc Ephrem, non magis castitatis laudator, quam amator. Beati igitur Religiosi, terque beati: qui castitatis amantes sunt, qui mundo corde sunt & corpore, mundâ animâ: mundi cogitatione, mundi verbo, mundi & opere: qui carne constituti, sed extra carnem viventes, accerunt è cœlo, quod imitantur in terra; qui castitatis admiriculo ceu spirituali vehiculo & curru, in sublimi cœvhuntur, & Angelis æquiparantur, dum per castitatem Angelorum Domino copulantur.

Porrò castitatem amare quid est, nisi eam estimare, æstimatam super aurum & topazionem custoditam conservare, conservatam cœlesti inferthalamo, afferre Sponso Christo Regi, cui per castitatem desponsamur. Si ergo castitatem amamus, oportet demonstrare amorem, quippe & hic demonstra-

tio amoris exhibitio est operis. Castitatem non amat, qui eam non servat, aut servare non curat. Et nemo diligentius servat (inquit in hunc locum Gerardus,) quam qui serio amat; tanto autem servat custoditus, quanto, quod amat, novit esse fragilius: & quanto major est thesaurus, & ab insidientibus expetitur aut impetratur acris, tanto ferventius amatur, & vigilantius custoditur. Et quis non amet castitatem, quam qui sordibus posthabet puritatem, & hinc porcum verius esse noveris quam hominem. Hæc Gerardus.

Jubemus autem non tam servare quam amare castitatem; quia castitas, dum non serio, sedulio, & intensè amat, eo ipso nec facilè servatur, sed citò perditur: quis enim perdere multum curat, quod non multum amat? certè omnes, qui castitatem amant, illi & servant, sed non omnes, qui eam servant, amant: Aliqui enim eam inviti servant.

Christus Matt: 19. ait: *Sunt eunuchi, qui ex ventre matris ita nati sunt: & sunt, qui ab hominibus eunuchi facti sunt: & sunt, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum;* His verbis latenter nos ad ultrò eligendam, adeoque diligendam Virginitatem inducit, quasi diceret: Cogita, si aut à natura talis es, aut ab hominibus eam injuriam passus, ut te castrarent invitum, quid faceres, cum & ejusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris: Gratias igitur nunc DEO agas, quod cum mercede atque corona idem sustineas, seu castitatem serves, quod illi sine coronis & præmio faciunt; Oportet igitur castitatem non solùm servare, cum violare fortè illam non possis, sed & amare, & libenter servare. Eunuchi enim, nisi etiam ipsâ mente, voluntate, & castitatis amore se contineant, frustra & inutiliter tales sunt; seu frustra castitatem servant, quia meritum non habent, nec præmium. Qui verò amore castitatis ultrò se contineant, hi laudabiles sunt: horum enim est regnum

regnum cœlorum. Voluit Christus non solum castitatem quomodo cunq; servari, sed spontaneè, sed cum alacritate, gaudio, & amore, singulari que voluntati studio: Et hoc etiam hic innuere voluit S. P. B. præcipiens castitatem amare: Istud igitur Instrumentum perfecte non observat Religiosi illi, qui quidem castitatem servant, sed non amant; malentes se forte volunt obstrictos non esse, ut vel ad tempus carnis deliciae experiri liceret.

Qua de re Chrysostomus homil: 52. in Matt: post initium (de quinque sapientibus Virginibus loquens) ait: *Sapiens Virgo est, ut neq; habeat virum, neq; deficiat ret.* Quid enim profit, si propter votum suum in Virginitate quidem mansit, si tamen post votum nubere volunt? Certè si non est nupta, voluntatem tamen habet nubentis corpore quidem Virgo est, animo autem nupta. Ad hanc ergo vitium præcludendum, castitatem S. P. B. auctoritatem Jubet, non servari solum.

Porrò cur ea ultrò intense amanda, & non solum quomodo cunque citra amorem servanda sit, sufficiet motiva suppediant sequentia bona, quæ confert castitas. Bona enim castitatis, urgentia sunt motiva, et mandi illam. Duodecim autem præcipue bona sunt, quæ castitas confert: totidemque motiva præbet amandi. Primo, quia pulchra est; hominemq; pulchrum, mundum, & decorum reddit; prout econtra luxuria hominem inquinat ac deturpat: quemadmodum enim incaustus & pollutus homo, sordibus immundis foedatur & foetet: sic castus & purus, minus puritatis odore & nitore gloriatur. Unde Sapientia dicitur: *O quam pulchra est casta generatio!* Quis ergo non amet pulchritudinem, quam illecti SS. Angelorum amant consortium? Unde exclamat Bernardus epist: 42. *Quid castitate decorius! quæ mundum facit immundo conceptum semine, Angelum de homine.*

Secundum ergo bonum, quod casticas amantibus

præstat, & motivum præbet amandi illam, est, quod
 amantem castitatis efficiat Angelum, imo plus quam
 Angelum, testante Chrysologo serm: 143. Semper est
 Angelis cognata Virginitas, & quæcunque etiam non
 Virginalis castitas: *In carne enim præter carnem vivere*
non terrena vita est, sed cœlestis. Angelicam gloriam &
 pulchritudinem amulari, majus est quam naturaliter ha-
 bere: esse Angelum felicitatis est, Virginem esse, castum
 esse, impollutum esse, virtutis. Idipsum autem relatus
 inellitus confirmat Bern: serm: 42. Quid castitatem ma-
 gis decorum, quæ Angelum de homine facit; differunt
 quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate,
 non virtute; et si illius castitas felicior, hujus tamen for-
 tior esse cognoscitur. Ecce castitatis pulchritudinem,
 ecce præmium puritatis, quæ mirabiliter metamorphosi
 homines transfert in Angelos, & corpus terrestre (quod
 alijs grave est, & aggravat animam) elevat ad cœle-
 stium spirituum societatem. Quid potest majus dici,
 quam hominem ex nervis & ossibus compactum, &
 ex pulvere & luto formatum, per continentiam & pu-
 ritatem corporis accedere ad dignitatem Angelorum?
 Tanta est pulchritudo castitatis, ut ea super sit pul-
 chritudini cœlestium spirituum. Valerianus & Ti-
 burtius Nobilissimi Juvenes Romani, cum Cæciliæ ca-
 stissimæ, in cubiculo oranti adstantem Angelum aspe-
 xissent: mox pulchritudine Angeli & castimoniae ca-
 pti, relictis nuptijs & Hymenæi gaudijs, toto pectore
 ad castimoniam, ad Martyrium, ad Angelorum in cœ-
 lo societatem anhelarunt. Quidni ergo & nos casti-
 tam amemus? ut mereamur & nos ad dulcissimum
 Angelorum consortium, & naturæ illius incorruptæ
 puritatem admitti, & Angelis accenseri in hac & alte-
 ra vita. O castitas! quæ in carne vivis sine carne, in
 iensi fine consenuisti, in vita mortali cum gloria im-
 mortal! Angelorum imitatrix in terris, & particeps
 felicitatis illius, qua illi lætantur in cœlis! Quis te
 non amat o pulchra, o decora castitas.

Hinc oritur & tertium motivum amandi castitatem, eò quod castitas non solum hominibus sed & Angelis hominem reddat amabilem. Quia sicut omni animal diligit sibi simile, sic & Angeli (qui naturaliter casti sunt) familiarius diligunt homines castos ; in non tam amabilem reddit hominem, sed & honorabilem Angelis Angelica castitas, adeò ut non in amore solum sed & in honore sit apud Angelos homos; pronum quippe est honorare eum , quem conmovit excellentiorem se in aliquo genere : nōrunt autem Angeli, castos homines esse supra se : Nōrunt quidem se puros esse (uti & sunt) ex natura ; homines autem nōrunt puros esse ex virtute : se ex felicitate creationis, Religiosos ex voto professionis : se ex loco habitationis, in quo nulla esse potest impuritas, Religiosos in loco immundi mundi vident esse mundo se nōrunt puros & castos esse, sed sine insidijs, sine periculis, sine pugna, sine merito ; Religiosos verò sine insidijs, quas eludunt, non sine periculis, quae evadunt, non sine pugna, quam alacriter ineunt, non sine merito , quod quotidiè imò assidue accumulatur. Quis ergo castitatem non amet ?

Quartum motivum amandi castitatem est, quod hominibus in hac corruptibili vita degentibus, conservat incorruptionem, & elevet mortale corpus ad similitudinem corporum Beatorum. Hinc enim temporis Sanctorum leguntur post mortem manesque incrupta & illæsa à putredine, mirumque pro fœtore sensisse odorem, eò quod in vita nescierint, seu non commiserint laborem nivei pudoris, sed servarint cor & corpus ab omni labe & sorde peccati impollutum.

Quintum castitatis amandæ motivum esse potest, quod castitas hominem quodammodo in ipsum Deum transformet, eiique faciat quam simillimum, qui corruptibilis omnino est, utpote merissimus & purissimus Spiritus. Quod expressè Basilius testatur dicente

Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum facit : Et Sap: 6. v. 20. Scriptura ipsa dicit : *Incorruptionis facit esse proximum Deo.* Ama ergo castitatem, quæ ipsi Deo te reddit similem. Ex quo etiam sequitur

Motivum sextum amandi castitatem, quia facit hominem amabilem DEO, & amicum Dei. Nam omne simile amat sibi simile. Et Prover. 20. expressè Deus testatur : *Qui diligit cordis munditiem, habebit amicum Regem, utique Regem Regum, Regem Angelorum, & Dominum dominantium.* Et quid est, quod dilectum illum Christi Discipulum Joannem, tali dilectionis prærogativa fecerit dignum præ omnibus alijs Apostolis, nisi quia castitatem præ omnibus alijs Apostolis ipse dilexit ? Quid quod nullos alios elegerit in Apostolos, nisi castos ? Alios peccatores admisit ad suum & Apostolorum consortium, nullum tamen suo Apostolorum Collegio insertum voluit, qui impudiciæ labe esset infectus ; adeò cordi DEO est castitas ! Religiosi ergo, qui se Apostolorum vestigijs proxime insistere gloriantur, castitatem præ cæteris ament oportet, & ab omni contrario vitio se faciant alienos.

Septimum amandæ castitatis motivum est, quia castitas corpus & animum efficit templum & habitaculum DEI. Si enim juxta Apostolum : *Homo justus est templum Dei vivi,* (2. Cor. 6.) consecratum ei per gratiam sanctificantem ; quanto magis sedes ac templum Divini Numinis est anima pura in casto corpore, & quidem consecrata ac dedicata DEO per sacram professionem & voti emissionem ? Sed vix, qui templum Dei violaverit ! quia disperdet illum Deus, ut serio minatur Apostolus : Vix, qui ex templo DEI stabulum efficerit spurcissimæ Veneris : qui sacrilegâ fœditate contaminaverit hanc sacram DEI domum. Nihil ergo immundum, nihil profanum inferatur, aut inferri linatur in domum hanc, ne Deus, qui inhabitat, inquit, sedem offensus derelinquat, ut loquitur Tertul:

Octavum amandæ castitatis motivū est, quod se
castitate vel maximè desponentur animæ nostræ Spo-
so cœlesti, æterno DEO vivo & vero. Prout Ambr:
Nemo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorū D-
mīs copulantur (nempe animæ castitatis amantes.)
quibus Apost: 2. Cor: 11. dieit: *Desponsi enim vos
viro, Virginem castam exhibere Christo.* O felicia spon-
lia, quorum Artha est æternitatis annulus, quoru thal-
mus cœlum est, quoru sœcunditas est infinitorum
ritorum & præmiorum copia, quorum nuptialia
pudia sunt Angelorum gaudia! Si ergo magnum
num est potenti alicui & optimo desponsari Princ-
(quod tantopere ambiunt, & æstimant filiae homi-
num) quantò amplius est per castitatis votum &
morem ipsi Deo desponsari! Verùm si tanta castitia
& fidelitas à Sponsibus Principum terrenorum res-
titur, ut vel minima etiam declinatio ad alienos am-
ores pro gravi noxa habeatur, quantò detestabilior
Sponsa, quæ fidem supremo Regi per votum casti-
semel datam frangere, & violare (quod absit) aufa-
rit: Religiosi ergo, qui spiritualis connubij fœder-
professione sua DEO copulantur, castam imitentur,
fannam, quæ ad crimen adulterij à senibus & in-
dicis Judicibus invitata, adeò reluctata est, ut lucis
jus usuram perdere, quam datam Marito fidem vice
maluerit. Ita Religiosus, qui se impuris cogitati-
bus & affectibus immundis impeti senserit, mihi
mori præoptare debet, quam fidem DEO, vero legi
animæ suæ Sponso solemniter semel datam
fringere.

Nonum motivum amandi castitatem est, quod
non solùm Superis, non solùm Angelis, non solùm D-
reddat hominem commendabilem, sed & homi-
bus. Quis enim hominem castum non laudat, for-
icit, reyeretur, amat? Quis non capitur amore &
matione hominis casti, quem talcm novit. Corr.
Ego

Emericus S. Stephani Hungariæ Regis filius, sic honorabat, sic amabat castitatis amantes, ut quò magis hanc illi amarent, eò magis amarentur ab illo ; & prout quisque Religiosorum castior & excellentior in hac virtute esset, eò pluribus osculis & amplioribus amplexibus ab illo honorarentur : Nam quemadmodum luxuries turpe vitium infames, contemptos, & contemptibiles homines reddit ; sic econtrà castitas reddit amabiles, reddit honorabiles, non tantùm hominibus præsentibus, sed etiam posteris : exclamante propterea Scripturâ : *O quam pulchra est casta generatio eum claritate : immortalis est NB. memoria illius.*

Decimum motivum esse potest, quòd sacra castitas reddat & relinquat mentem tranquillam, & liberam ab inexplicabilibus curis & anxietatibus, quibus luxuriosi implicantur, imò & conjugati ; adeoque deliciosa & jueunda est castitas, luxuries semper aspera & dura est : hæc enim, cùm illicita sit, quas non curas, quas non anxietates creat ante opus turpitudinis, nec minores in ipso opere, maximas autem post illud : tunc enim verò anxius fit, cavet, timet, ne prodatur, ne innotescat delictum, ne pœnam, ne confusione, ne infamiam incurrat. Et denique ne propter voluptatem momentanam amittere cogatur æternam. Urget conscientiae stimulus, ut confiteretur, ast pudor prohibet. Hinc dolor, hinc gemitus ! Luxuries ergo prædulce malum, prædulce venenum, quid aliud est, quam Fenellæ Reginæ pomum, quod pulchrum quidem aspectu offerebatur Kemeto Regi, sed tactum ab eo, plures in eum sagittas ejecit, & vitam ipsam abstulit. Sic & incasta & sœda voluptas fallax est, & tam animo quam corpori noxia ; mille sagittas, hoc est, mille curas, anxietates, dolores emittens, seu post se relinquens.

Deniq; inter ipsos Conjuges quantæ curæ, quantæ solicitudines in educandis, sustentandis, dotandis,

& ditandis liberis, in amovendis etiam corporis molestijs & doloribus, quos incurunt & sustinent occasione Matrimonij; adeò ut verissimum sit, quod Apostolus dixit 1. Cor: 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est.* Econtra quanta sit castitatis jucunditas, quanta suavitas, quanta delectatio, quantæ deliciæ, quis satis explicet? quis satis adumbret? quas expeririuntur, & sentiunt utique, quicunque castitatem verè amant, amant illibatè observant. S. Cyprianus Chartag: Episcopus de bono pudicitiae scribens, ait: *Nihil animi fidelem sic deleat, quam integra immaculata corporis conscientia: voluptatem viciisse voluptas est maxima.*

Undecimum castitatem amandi motivum est, quod castitas aperiat homini oculos, & aptos officia ad videndum Deum summum Bonum, teste Match cap: 5. *Beati mundo corde, quoniam ipius Deum videbunt.* Castitas ergo janua cœli est, hæc via est, quæ t'acurebit ad vitam æternam: & quidem ad præcellentes ac eminentiores æternæ vitae gradum præ omnibus alijs hominum Ordinibus. Testante id Isaia cap: 5. *Hæc dicit Dominus Eunuchis (qui nimirum se ipsos contraverunt propter Regnum Cœlorum) dabo eis in domo mea, & in muriis meis locum & nomen melius à filiis filiabus, nomen aeternum dabo eis, quod non perirebit.* Illic enim Christus DEI Filius

*Quocunq; pergit, Virgines
Sequuntur: atq; laudibus
Post hunc canentes curvant,
Hymnosq; dulces personant.*

Proximi ergo apud DEUM post Christum ad videndum Deum sunt homines casti.

Duodecimum bonum, quod castitas amanti confert, & propterea amanda est, est aureola Martyrum. Nam etiam sine ferro & sangvine Martyres esse possimus, si castitatem amemus, servemus, custodiamus. Testatur id Chrysost: oratione de S. Thecla: *Virginibus (ut)*

(ait) magnum quoddam Martyrium videtur. Sunt enim
crudeles quidam carnifices corporis voluptates, imò vero
carnificibus crudeliores. Nam in vincula conjiciunt
liberum hominis animum, stringunt, torquent; per
ipsos oculos animam vulnerant, per aures luxuriae faces
admovent: aspero flagello intellectum flagellant: novas
continuè prælijs nos laceffunt, & quando hæc omnia vigi-
lantes superaverimus, adhuc dormientes umbratili pugna-
divexant. Hæc S. Chrysostomus. Cui adstipulatur Au-
gust: libro de honestate mulierum cap: 3. Qui castita-
tem custodire voluerit, Martyr est. Non enim Martyri-
um sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam
exusio flammatione; peruenitur non solam occasu, sed
& iam contemptu carni ad coronam. Carnem affixisse,
libidinem superasse, &c. pars magna Martyrij est. Am-
bobus his accedit Ambrosius lib: de Virginitate, ubi de
Sancta Agneta loquens, ait: Habetur in una hostia du-
plex Martyrium: pudoris, & Religionis, seu fidei. Agnes
& Virgo permanens, & Martyrium obtinuit. Nec idem
laudabilis Virginitas, quia in Martyribus reperitur, sed
quia ipsa Martyres facit. Castitas ergo Martyrium sic-
cum est, Martyrium sine sanguine est: imò & Marty-
rio castitatem præserre videtur prædictatus Chrysostoi:
Velox est labor Martyrium, (ait) prolixior labor & do-
lor castitatem colentium.

Hæc quoad bona spiritualia, quæ & in hac & alte-
ra vita castitas sacra confert cultoribus suis.

Ultimum castitatem amandi motivum esse potest,
quod non solum prædicta bona spiritualia, sed etiam
corporalia & temporalia DEI beneficia plurima confe-
rat castitas amatoribus suis; quæ omnia si enumera-
re vellem, æquo longior essent. Unum tamen præ-
terire non possum, quomodo castitas sit vitæ custos &
conservatrix? quomodo libertatem conferat, vitam
conservet, victoriam præstet etiam de hostibus terrenis.
Meminimus enim supra Instrumento LXI. pag: 98.

Malchi Monachi propriæ voluntati innixi, & Monasterio egressi, atque deinde in captivitatem à Saracenis traxti, ac demum fermè coacti, castitatem (cujus amantissimus alias erat) violare. Sic tamen castitatem amabat, ut se ipsum occisurus potius fuerit, quam ut castitatem derelinqueret: dixit ergo mulieri hibi à Tyranno in uxorem intrusa: Vale infelix mulier! habeto me Martyrem aut mortuum potius, quam Marium. Moriar potius meipsum occisurus, quam ut tecum me coinquinem! Illa igitur pedibus ejus pro voluta, precor te (ait) per JESUM Christum, ne effundas sanguinem propter crimen incontinentiae, quod ex me times. Castitatis & ego amans sum, servaboque in aeternum; & etiam si meus mihi redderetur Maritus, castitatem colerem, quam satis me dura captivitas docuit, & interire mallem, quam eam perdere. Habeo me non thori & carnalis copulae, sed pudicitiae, & spiritualis conjunctionis in castitate sociam; usfrater & soror cohabitemus: Malchus ad generofam scerninæ resolutionem artonitus, annuit votis ejus; & postquam diu sic castè convixissent præter Tyranni opinionem, cœpit secum tacitus cogitare Malchus, qualiter è servitute & hoc ipso tali quali incontinentiae periculo posset tandem evadere: Igitur initio cum muliere consilio, fugam meditantur; silentijq; fidem jurant invicem. Occidit igitur è grege (cujus ille pater constitutus erat) duos miræ magnitudinis hircos, è quibus utres servavit, & carnes viatico præparavit. Ergo nocte quadam invadunt iter, cumque pervenissent ad fluvium, inflatis consensisque utribus, aquigantes, felices evaserunt. Cumque post diem tertium (solâ enim nocte iter provchere licuit ob vagantium Saracenorum insidias) Dominus & servus camelis insidentes, eos à longè insequerentur, in specu quædam longè sub terram penetrante se abdiderunt, non sine

sine horrore, tremore & timore, ne mortem fugientes ab hero inferendam, mortem incurrerent ex viparis & regulis alijsque animalibus, quibus plena erat specus illa. Cumque vestigijs fugam & locum prodentibus, iam ante specum adstante Dominus & conservus, misit Dominus servum, ut eos de specu retraheret. Hic ergo quid eis animi fuerit, facile judicabis lector, scilicet animi parum, terroris multum: Et, si multò gravior est exspectata quam illata mors, jam quasi mortui præ terrore & expectatione erant. Herus ergo interea camelos ipse tenuit unā manu, alterā evaginatum gladium, quo eorum expectavit adventum. Interēa tribus vel quatuor cubitis introgressus famulus, & nihil videns (nam sic fieri solet, ut sole prius viso, umbram intrantibus, cœca sint omnia) clamavit: exite furciferi, exite morituri: adhuc loquenter ecce leæna invadit, & gutture suffocato interimit, illis videntibus. Quantum vel terroris vel gaudij habuerint, tu divina; terroris, dum viderent leænam sic sævientem in carnes humanas: gaudij, dum cernerent hostem perire suum. Herus rei ignarus, suspicatur fugitivos, famulo forsan resistere, utpote duos unimoræ igitur impatiens, ipsèmet plenus irarum, speluncam intrat, & furore rabido servi increpans vecordiam, mox ab eadem fera attinetur & necatur. (Nimirum pro hominibus castis stant etiam belluae, pro illis dimicant, & castitatem propugnant.) Leæna vero, ne illis ipsis terrori esset, eis hospitium cessit, & specu excepsit. Sublato ergo tanto periculo, ad vesperam egressi, viderunt & apprehenderunt camelos reliatos, ijsque ascensis decimâ tandem die ad Castra Romana per desertum pervenerunt, oblatique Tribuno rem ordine narrarunt: inde transmissi ad Sabinum Mesopotamiae Ducem, camelorum pretium receperunt, & in tuto collocati sunt. Malchus ergo ad Monasterium suum revertitus, se Monachis reddidit, mulierem vero

tradidit Virginibus. Hæc Pexensfelder h̄isto: 8. ex 5. Hieronymo: quem etiamnum adolescentulum eos novisse scribit, & hæc, quæ dicta sunt, ipsomet S. Malcho narrante didicisse & scripsisse; quam narrationem idem S. Malchus narrando sic conclusisse refertur: *Hac ego vobis narravi senex, & castis historiam castitatis exposui, vos narrate posteris, ut sciant inter gladios, inter deserta & bestias pudicitiam nunquam esse captivam.*

De S. Nicolao milite simile quid refertur in Fastis Marianis 24. Decemb. Amavit & ille (quod rarum in milite est) castitatem, & pro ea, ac cum ea feliciter pugnavit. Is enim in Bulgaros sub Auspicijs Nicephori Romi: Imperatoris pugnaturus, priusquam bellum hosti moveret, ipsi mulier, hospitis filia, bellum movit, ter impetum in castissimum faciens; Sed ter Nicolaus impetum fortiter repulit. Quia incruentâ pugnâ pugnatâ, ad aliam pugnam in campum, somnus Nicolaum educit, seu potius somnium, quod eâ nocte post reportatam de Venere victoriam habuit. Vedit ergo Nicolaus in somno stantes utrinque acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, & Romanosvinci: atq; inter cæforum corpora locum vacuum videt, auditque cum fatalem sibi & Commilitonibus suis futurum fuisse, ubi cadere debuissent & ipsi, ac reipsa cecidissent, ab hoste victi aut vincendi, si præcedente nocte se à Cupidine cæco puero vinci permisisset. Somnij veritatem exitus rei posterâ die commonstravit. Initus enim cum Bulgaris conflictus est; vincebant quidem ab initio Romani, ast postremo Bulgari victoriam Romanis (è quibus Nicolaus noster erat) extorserunt. Et in hac Romanorum strage, seu inter cæforum corpora, vedit locum illum vacuum, sibi & Commilitonibus suis reservatum ac præparatum, si Veneri palmarum cessisset. Ex tunc ergo tanto magis castitatis zmen militiae Religio dedit, ubi tot trophaea glorioſa posu-

posuit, quot pugnas pro castitate pugnavit, nempe quotidiana. Est enim (Augustino teste) hac in parte quotidiana pugna, licet rara victoria; tanto tamen gloriior, quanto rarius. Si ergo vitam dat seu conservat castitas, tantum castitatem ama, quantum vitam.

Synopsis & praxis huius s. *Castitatem amare, servare, propugnare in animo & corpore; in cogitatione, verbo, & opere; quia pulchra & decora est, decoros & pulchros reddens; quia homines transmutat in Angelos; immo eos super Angelos evexit; Angelis amabiles & honorabiles reddit; incorruptionem confert, similemque efficit hominem DEO incorruptibili; eiisque proximum, amabilem, Amicum facit, templumque constituit Altissimi: Desponsat nostras DEO animas: commendat nos hominibus & Superis, confertque nominis immortalitatem; mentem tranquillat, & ab innumeris anxietatibus liberat; delicijs inexplicabilibus afficit cultorem suum: facit Deum videre, & ad eminentiorem Beatitudinis gradum promovet; Martyrijque aureolam & palmam tradit in palmas amantium. Es praeter ista spiritualia, celestia & aeterna bona, confert & bona corporalia ac temporalia in hac vita. Ecce quot amandi habes motiva! si tamen necdum castitatem amas, quid quæso amas? Vide, quomodo amaveris illam, & quomodo deinceps velis, idque in cogitatione, verbo, & opere.*

Primo: Cavendo ab omni opere impudico, ab omni aspectu, osculo, tactu inverecundo, seu omni aetate Venereo.

2. Fugiendo etiam colloquia sensualia; & adhuc magis illa, que ex se inhonestatem aliquam sapiunt; maxime autem, omnino turpia.

3. Repellendo celeriter cogitationes malas; non deleando in illis, minus consentiendo. Vide, quomodo in his tribus haec tria semper servaveris, & ama castitatem.

Æ. II.

Varia media & præsidia propugnandæ & conservandæ castitatis.

Intra omnia Christianorum certamina (inquit Aug.) sola dura sunt prælia castitatis: ubi quotidiana pugna, & rara victoria est. Acrior haec pugna est, quam quæ cum ipso dæmone suscipitur, prout nonnemo in collationibus PP. dixit: *Major est virtus, ac sublimior gratia, internam libidinem carnis extingvere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentium signo Domini, ac virtutis altissimæ potentiam subjugare.* Hæc pugna quantò est blandior, tantò est periculosior; Siquidem eum hoste domestico, cum intestino pugnandum est, eum carne propria, cum concupiscentia propria, seu secum ipso. Et quidem aut vincendum hic in hac pugna est, aut moriendum, nempe animabus nostris! Unde hanc ego omnium militarium pugnarum difficultiorem & periculosiorem rectè dixerim. Cum castitatis hoste, cum carne & sangvine suo, cum delicia Venere, cum cæco puerō (Amore) pugnare, pugna difficultilis est. Hic enim vel leviter succumbere est perisse. In hac pugna hostis (scilicet caro, Venus, concupiscentia) mordet ridendo, vulnerat delectando, perimit consensum extorquendo. Ejus percussio blanda quidem est, ast est percussio! blandiendo percutit: Interfectio lenis est, ast imperfectio tamen est! Mel propinat, ast fel imò venenum occultè latet. O mel felleum! an dicam? fel melleum! pernicies delicata! dulce venenum! desiderabilis calamitas! calamitosum desiderium! O malum intestinum! O indefinens certamen! Afficit blandè voluptas, allicit, inficit; ast in fine mordet ut coluber; & ut regulus venena diffundit. Astutus hostis caro est: Scit, quanta vis in cupiditate sit, hinc illicita & veneno illita immittit delicia,

deria, accedit concupiscentias, objicit oculis irritantes formas, injicit per portas sensuum, per imaginacionem & imaginatricem facultatem Venerei ignis incendijq; fomenta, & apta carnalibus vitijs pabula; In simis visceribus ardores & stimulos excitat, excitatos conturbat, conturbatos commovet, commotos auget, donec irretitum implicatumq; hominem suppressimat, vincat, vincitumque teneat, pudorem extingvat, castitatem eliminet. Huius ergo hosti tam callido, quam forti, ne succumbant castitatis amantes, operæ pretium est in medium afferre certa castitatis uendæ præsidia, propugnacula, scuta, media; quorum duodecim efficaciora, fortioraq; adduco; totidem scilicet, quo bona & commoda secum afferre castitatem supra vidimus, quibus muniti præsidij, armisque protecti, illæsum tot inter discrimina, castitatis thesaurum servare liceat.

Primum castitatis præsidium est oratio: Castitatem quippe donum DEI esse, quis est qui nesciat? testatur id Salomon Sap: 8. de se ipso loquens: Scivi, quod aliter non possem esse continens, nisi Deus det: (& hoc ipsum erat Sapientiae, scire, cuius esset hoc donum) adij Dominum, & deprecatus sum illum. ¶ 21. Et D. Hieronymus contra Jovinianum ait: Difficilis res est Virginitas, & ideo rara. Addo ego: & ideo ardenti prectione à DEO flagitanda, donum enim DEI est, de qua sic Gregorius Nazian:

Salve Virginitas Divino tradita dono.

Haud equidem aterni venit hoc sine Numinis Patris.

Ut quisquam Veneris fadæq; libidinis expers

Vivat, & hoc fragili maneat tranquillus in ævo.

Nam inter tot concupiscentiæ motus non moveri, & restuante libidine non accendi, non ardere, id magnanimi animi est, generosi animi, fortis animi, animi naturæ potenter resistentis, naturæ imperantis, naturæ visa inferentis; adeoque supra naturam est. Cogita,

inquit Chrysostomus hom: 18. in Gen: *Quanta sit Virginitatis & castitatis dignitas, quam sublimis & magna possessio, utpote quae supra humanam naturam non veniat, nisi a Divina manu.* Et Rupertus Abbas Tuitiensis ait: *Tale bonum est castitas, quod sit solius DEI donum, & propterea ab ipso petendum.* Et Climacus ait gradu 13. in scala Paradisi: *Nemo eorum, qui in palestra castimoniæ desudarunt, suis eam laboribus adeptum esse, aut acquiri posse putet; vincere enim naturam non est naturæ nostræ, sed fragili naturæ certum est adesse Authorem naturæ, ita ut omnia possimus in eo, qui nos confortat.* Ergo propugnare & conservare castitatem qui cupid, orationis utatur propugnaculo; orationis eam protegat scuto. Hoc usus propugnaculo est Angelicus Doctor Thomas Aquinas, dum etiamnum adolescens, scorto a fratribus submerso, & titione fugato, mox orabat pro gratia & dono castitatis; & mox Angelum vidi*sibi* renes stringentem dicentemque: *Accipe eingulum castitatis.* Et exinde per omnem vitam omni sensu libidinis caruit. Hoc item clypeo orationis, obarmata S. Cæcilia, cum gemitu illud Psalmi 118. usurpavit: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculation, ut non confundar;* & obtinuit castitatem Angelicam, & Angelum ejus Custodem habuit: *Mitto sexcentas alias historias obvias.* Nam nonne Daria castissima Matrona S. Crysanthe Martynis Conjunx, in lustrum tracta, sed fusâ ad DEUM prece, contra lenones per leonem defensa est? Nonne Agnes jam vestibus spoliata, & in lupanar abrepta, preces ad Deum fundens, per Angelum Divinâ luce armatur, & veste de cœlo datâ ornatur, contegitur, protegitur? Nonne Barbara castissima Virgo, cùm imp̄ijssimi Patris odio in eam sœviente, nuda ad ignominiam raptatur, illaque verecundiam & pudicitiam suam Deo in oratione commendaret, mirabili ē Cœlo luce seu stola contexta est, castissimumque corpus impudicis Ethnici coru-

corum oculis subductum? Nonne Lucia Virgo Syracusana ad prostituendum ducta, cum se, pudicitiamque suam DEO in oratione commendaret, ita in foro immobilis defixa est, ut neque plura boum juga, eam de loco, minus de proposito casto dimovere potuerint? Castitatis ergo & casti consilij protector DEUS est; ab eo cum primis hoc donum petendum, is certè irritas non sinet esse preces.

Alterum castitatis propugnaculum est ipsa Virgo Virginum, & Regina Amatrixque castorum omnium B. V. M. Hanc post Deum in discrimine pudicitiae, in aestu temptationis invoca, senties in illa & per illam auxilium. *Quicunq[ue] estis Virgines* (ait Chrysost: serm: de ejus Laudibus) *quicunq[ue] casti esse anhelatis, ad Matrem Domini confugite.* Quia, ut Salazar in Proverb: Salom: cap: 8. v. 36. inquit: *Nullum existimo prorsus castum, nisi MARIE patrocinio utatur, atq[ue] eam cultu & obsequio sibi devinciat.* Et S. Bonav: cum meminisset illius Sententiae ante relatæ: *Cognovi, quid nemo possit esse continens, nisi Deus det,* sic ad Beatissimam Virginem sacrum extendit textum: *Cognovi, quid nemo possit esse pudicus, nisi dante DEO, & Mariâ interveniente.* Idem v. 12. num: 43. ait: *Explorata res est, animos turpium cogitationum inquieto motu perturbatos, sola MARIE recordatione sedari.* Et quamvis res exemplis non egeat, horum tamen sexcenta suppetunt. Sufficiat meminisse duorum; & imprimis illius Adolescentis, qui à procaci muliere improbe solicitatus, obnoxie Virginis opem in praesenti periculo vix imploavit: *Et ecce ne illo sensu animus ejus emollietur, repente libi visus est videre, prostitutam illam mulierem antea bene comptam, horrendâ specie quantocvus in se vum spectrum commutatam, quo terrore ita omnis mollitudinis sensus fugit, ut facile in constantia castitatis perfiterit.* Hæc Pexenfelder: histor: 98. Neque opus est (ait) longis precibus ad praesidium castitatis

tatis à purissima Virgine exorandum ; unum jaculatorum susprium cor p̄ijſſimum Virginis penetrat, & ad opem ferendam inflebit. Testis expertus est P. Bernardinus Realinus, qui anno 1616. ex hac vita decessit ; is rogatus ab aliquo remedium aliquod adversus foeda phantasma & nocturna in somnis tentamenta, tale præscripsit remedium : ut ter crucem super cor formaret, & hæc verba proferret : per S. Virginitatem tuam purissima Virgo, emunda carnem meam in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amē. Nec plura. Fecit ille hæc, & ab illis Indibrijs liber evasit, nec quidquam amplius totâ vitâ persensit, prout juramento idem ipse contestabatur. Et li in ore duorum vel trium testium stat omne verum, adduco & alterum, Patrem Joannem Avilam, qui contra impuras imagines, hunc Ecclesiæ versiculum plurimū vñlere contestatus est : *Virgo singularis, inter omnes miti-
nos culpis solutos, mitis fac & castos.* Item : *Per in-
vinculatam Conceptionem tuam libera nos glorioſa Virgo
ab omni macula :* Efficaciam hujus remedij plures ex-
perti sunt, citato Authore teste.

Tertium propugnaculum est electio & invocatio cæterorum aliorum Sanctorum, ac etiam cultus sacramentum Reliquiarum ; aut imaginum eorundem : inter quos, post Beatissimam Virginem, quæ Sanctorum omnium Regina est, poterunt in auxilium vocari, & constanter invocari : S. Josephus, de quo testatur S. Bernardus, quod Virgineus hic Virginum Virginis Sponsus Magni illius Patriarchæ in Ægypto, non solum nomen fuerit sortitus, sed & castimoniam illius adeptus, innocentiam affecutus. Sicut enim Ægyptianus ille Josephus Domino suo fidem servans, Dominus noluit commisceri ; ita iste Domini sui Matrem Virginem agnoscens, fideliter custodivit & conservavit suam, tum illius Virginitatem. Hunc ergo invoca, ut custodiat & te. Secundus castitatis Patronus

esse poterit S. P. B. castitatis amator & carnis triumphator gloriosissimus, uti constat ex vita ejus. Item S. Scholastica, quæ tam sancte, tam castæ, tam innocentier vixit, ut S. P. Ben: sororis suæ animam, omni labore purissimam, instar columbae candidæ cœlum viderit ascendere, utique merito & virtute castitatis. Quam sic amavit & coluit, ut nesciens labem nivei pudoris, mox meruerit in candidæ columbae specie cœli secreta penetrare. Quartus castitatis Patronus esse poterit S. Bernardus, qui (uti habetur in Breviario) adhuc adolescens, propter egregiam formam vehementer solicitatus à mulieribus, nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuit. Hunc invoca, ut & te confirmet in sancto proposito, & nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri permittat. Quintus castitatis Patronus esse poterit S. Medericus Abbas, qui seculum in Cœnobio Ædvensi (Ordinis S. B.) exuens, cum mundo etiam omnes affectus ad carnis illecebras abjecit, castitatis amantissimus; ad quam tuendam abstinentiæ corpus domuit, ita ut binam tantum, eamque pertinuum refectionem in septimana, & pro potu nil præter frigidam admitteret. Hinc castitatis propugnator, defensor, ac conservator non tantum in proprio corpore animoqué, sed & in alienis corporibus, animisque adhuc in terris degens, esse meruit. Cum enim ex suis aliquem gravissimus libidinis æstus ureret, tunica sua, quam ipse met ferre conservaverat, illum induit, & mox per illam omnes illæ Venere flammæ sopitæ sunt. Alteri vero, quem consimilis gravis tentatio premebat, benedictum panem misit præfatus Medericus Noster; quem quamprimum gustavit, protinus (confirmatis animi viribus) à tentatione liberum se sensit. *Menol. Bucel. 29. Aug.* Si DEI servus S. Medericus in terris adhuc positus tantum valuit apud Deum, ut carnem, Cupidinem, dæmonem (quem vocant spiritu fornicationis) vincere ficeret, quid non poterit, quid

non faciet jam cœlo receptus, & à te invocatus? Sex-
tus Patronus esse & eligi poterit S. Alferius Ord: N. Ab-
bas 12. Aprilis; De quo refertur, quod dum Religio-
sus quidam frequentes in somno pateretur illusiones,
& tunc maxime, cum ad SS. Eucharistiae epulum fuisset
accedendum (frustrâ exhibitis ad maculas has car-
nis eluendas jejunijs & lacrymis.) Tandem S. Alfe-
rius in somno apparet, Religiosum illum & castitatis
amatorem visus est limpida aquâ ex fonte cœlesti per-
titâ abluere, quâ deinceps carnis immundities tota si-
mul detersa est. Tales habere Patronos in tua (Reli-
giose) potestate est; hos elige, habebis. Quia Sancti
DEI in cœlo (teste Augustino) de sua salute securi, de
nostra sunt solliciti: utpote qui miseras nostras experti
sciunt, quantis periculis subjaceamus. Profectò ma-
gna illa charitas, quâ nos tanquam ejusdem naturæ
confortes, tanquam amicos & fratres suos, futurosq;
Concives & cohæredes prosequuntur, eos impellit ad
nos ultrò juvandos; & ob hoc etiam priusquam invo-
centur, sœpè præstò sunt; quid facient in vecati & im-
plorati? Refert in hanc rem Cæsarius lib: 18. cap: 67.
quod Religiosus quidam Ord: Cister: Bernardus nomi-
ne, præfato Cæsario, ejusdem Instituti viro, doctrinâ
& pietate clarissimo, ingenuè fassus sit, sibi olim, ante
Religionis ingressum subortam suisce fœdam cogita-
tionem, in qua fortè non bene aut non plenè adver-
tens ac proinde nihil repugnans detinebatur diutius;
& tunc se sensisse aliquem motum & tactum, pectus
suum ferientem, qui è lipsanotheca de collo pendula
oriebatur; remittenteque turpi cogitationum æstu,
illa quoque commotio ex theca Reliquiarum quiesce-
bat: redeuntibus verò iterato turpium rerum imagi-
nibus, mentemque acrius in videntibus, redibat etiam
motus ille. Neque prius desistebat illa lipsanorum
pulsatio, quam periculi sui magnitudine cognitâ, ob-
jectas illas obscenas species & cogitationes ex animo
abje-

abjecit & eliminavit. En quid faciant Sancti, etiam non invocati, pro ferenda ope in castitatis periculo vel certamine? Quid non sperent illi, quorum laudibus & precibus ultrò invocantur, provocantur, rogantur ad ferendam opem? *Voca ergo (inquit Job cap: 5.) voca, si est, qui tibi respondeat;* Ad aliquem Sanctorum convertere: Voca eum precibus, invoca gemitibus, provoca suspirijs, concilia officijs, demerere veneracione aliqua, & (quo ipse vis argumento) ostende te clientem esse, talibus Patronis perpetuo devinctum & dicatum: & ipsi se ostendent Patronos esse, quales se ostenderunt præfati Sancti. Si eadem te Religiose pugna manet, quæ infestabat Religiosos illos, manebit etiam eadem victoria, si eandem auxiliatricem Sanctorum manum habueris; Habebis autem, si invocaveris. Demum inter alios castitatis Patronos elige & invoca Custodem Angelum; & ecce tibi specialiter assistet in prælio castitatis, quam tantopere in te amat Religiose; quem si devotè invocaveris, castitatis utique defensorem habebis, & cum S. Cæcilia dicere aë gloriari poteris, *ni hilque timere castitatis impugnaciones, mecum enim habeo custodem corporis mei, Angelum Domini.*

Quartum propugnaculum castitatis est respectus Divinæ omnipræsentiae; de quo S. P. B. monet: In omni loco Deum se respicere pro certo scire; affirmari se à Deo respici omni horâ, & facta sua in omni loco ab aspectu Divinitatis videri. Et specialiter monet cap: 7. gra: 1. ut præsertim in desiderijs carnis Religiosus DEUM sibi semper eredat esse præsentem. Et certè efficacius castitatis præsidium esse non potest, quam viva Divinæ omnipræsentiae recordatio. *Quis enim vel solis cogitationibus Venereis (taceo verbis, taceo factis & actibus illicitis) inhærerere, ijsdem delectari aut deliberatè consentire non erubesceret, si vel unum Virum Religiosum, aut honoratum aliud, imò quemcunque, talis*

delectationis haberet inspectorem, aut impudici actus testem? Simile ergo quid, si nec seculares facerent, dicerent, cogitarent, alio quopiam præsente, alio inspiciente; quanto magis Religiosus ab omni voluntaria incontinentia seu mentali seu corporali facile abstinebit, expositus semper oculis Divinæ Majestatis? Liceat ergo mihi, ut te alloquar Religiose verbis illis Bernar: *Tunc audens præsente & vidente Deo Altissimo, quod præsente & vidente me non auderes?* Certe hoc castitatis propugnaculum, hæc præsentiae Divinæ recordatio tam potens est, ut ex eo potuerit castissima Susanna castitatem tueri, una scilicet contra duos obscuros seneque lenones, eò quod peccare timuerit *in conspectu Domini*. Dan: 13. 23. Nec alijs armis devicit Venerem illud aliás Veneris mancipium Thais Alexandrina, quam his (quæ Sanctus Paphnutius ei suggesserat) verbis: *Deus omnia videt*; quis dubitet ijsdem armis triumphaturum Religiosum, si carnis pulsatus tentationibus sibi dicat: ecce Deus adstat, Deus omnia videt, cave facere malum *hoc in conspectu Domini*.

Quintum castitatis præsidium est memoria mortis; quippe fugientur facile noxiæ voluptates, carnalia gaudia & delideria, si mors sua cuivis jugiter versetur ob oculos; cui mors tam sua quam voluptatum suarum hæret ob oculos, amorem rerum deficientium facilè transfert ad incorruptibilia; *Facile contemnit omnia,* qui se cogitat moriturum, ait Hieron: Et si juvat hoc ipsum fulciri exemplis, ecce tibi Eliam Abbatem, Virum jam octogenarium, qui, cum mulier quædam non longè ab ejus spelæo antrum inhabitasset, accessissetque semel ad eundem, petens potum aquæ frigidæ, eò quod omnia torruerit æstus, ministravit ei potum, & cum potu mox abivit mulier; ast vix ex oculis discesserat, senex dæcrepitus eam insequitur, animo illam ad fædum facinus solicitandi; in via obviat ei Angelus, formam Viri venerandi referens, qui in se pul-

pulchro aperto cadavera putrida, horrida, & in tabum resoluta monstrat, seu meram putredinem, turpitudinem, fætorem: hæ sunt, inquit, deliciæ illæ, ad quas properas, & propter quas tot labores in DEI servitio summâ vitæ austeritate impensos, tot merita in cœlo parta, uno vis perdere momento? Dixit, & ex ingesta mortis memoria, nempe conspectâ mortuorum putredine resipuit. Eâdem ratione vim furiosam libidinis domuit, & castitatem conservavit vir alijs Religiosissimus ex Scythicis Eremicolis, cui sæpius ocurrerbat forma olim non ignotæ fœminæ, potentesque in illo excitavit carnis stimulos; quibus ut se liberaret, id reperit consilij; ad defunctæ fœminæ sepulchrum properavit, partemque mortualis cadaveris fanie & tabo fluentis secum domum absuluit, regreslusque in casam suam, settentem hanc prædam sub ipsos oculos posuit assidue contemplandam, donec sordidas cogitationes vîctor ex animo penitus extirparet. Hos Religiosos viros si imitati Religiōsi fuerint, & mortis horrorem ob oculos jugiter habuerint, habebunt (ne dubitent) præsentissimum libidinis remedium, & castitatis monumentum.

Sextum præsidium ad conservationem castitatis faciens, est inferni consideratio: Nam ut S. Damascenus Noster in vita Barlaam & Josaphat cap: 20. commemorat: Josaphat castissimus juvenis penè captus erat amore cuiusdam meritriculæ, quæ se Regio genere ortam mentiebatur, & egregiam verèque Regiam formam præferebat. Rapitur ergo Josaphat in spiritu ad stagna sulphuris & flammas inferni spectandas, ubi hoc sibi horrendum ingeminari audivit: *Hic scelerorum career est! hic cruciatus eorum, qui fædis voluptatibus se ipsos contaminarunt;* cumque ad se redijt, in lacrymas effusus, omnes libidinis faces sensit restinctas. Refert & Cæsarius lib: 10. cap: 34. puellam quandam prostituti pudoris, sed & illecebrosi vultus suis, quo

plures in sua retia pertraxit. Hæc castum quendam Sacerdotem hisce non erubuit affari, & ad turpitudinis actum solicitare verbis: Domine, ut meum tibi affectum non amplius celem, ardeo, & quidem sic ardeo amore tui, ut, nisi eum ignem, quem in me accendisti, tuo consensu extingvas, me ipsam vitamque meam extincturus sis: quo audito Sacerdos hæsitans similis deliberavit, quo pacto & se à flagitio præservare, & impudens illud prostibulum ad frugem reducere posset: Conclusit igitur Sacerdos; & locum, diem, horamqne nominat obsecundaturus ejusdem votis. Interea ad Gehennalis ignis ingerendam memoriam, curat in designato loco lectum extrui, rogo quam thalamo similiorem. Constitutâ ergo horâ aderat proœx mulier, eaque præsente ignem stramini & lignis injicit Sacerdos; & ipse,flammâ mox undique erumpente, in lectum unacum ueste se projiciens, puellam quoque illam invitat, vocat, jubet in thalamum tam illum venire, & secum prius probare, num possit habitare per horam cum igne devorante, priusquam cogantur habitare cum ardoribus sempiternis, quos meditato facinore essent promerituri. Horruit ad hoc incendium puella, & ardere desijt libidinis æstu. Sicque infami illo pectoris igne mox extincto per memoriam inferni & ignis infernalis, resipuit, & poenitentiam egit, ac posthac non jam Venerem sed castitatem amavit. Si sic impura illa solicitatrix à casto Sacerdote, in ardenti lecto tanquam inferni typo emendata est, & emendari potuit, Sacerdote in castitatis prœmium excunte illæso, quidni & tibi Religiose, inferni dolor timorque tollat carnales sensus, & carnalia desideria, non nisi æterno igne exurenda? Simile quid teste Drexelio (in Daniele cap: 9. §. 2.) fecit S. Franciscus Assisiensis: qui in vitium libidinis acerrime pro concione invectus, Auditorem habuit ipsum Fridericum II. Imperatorem, qui se quoque tangi videns, invi-

invitavit Ecclesiastem suum ad mensam, à mensa du-
citur in cubiculum, ubi proterva mulier ipsum mulie-
bribus lenocinijs invadit, & ad improbitatem solici-
tat. Vir autem sanctus ad accensos camini ignes pro-
perans in ignem quantocyūs injecit sese ; *huc veni, in-*
quit, & sequere me. Ast fœmina impura nimium quan-
tum hoc factō territa abiit, excessit, erupit, evasit. Im-
perator hæc omnia per rimulas observans, vidensque
Beatum Virum etiam in medio ignis non æstuatum,
admirari cum primis, & maximo in honore habere
cœpit castitatem, innocentiam, & sanctitatem ejus.
Franciscum ergo imitantur Religiosi, descendentes, si
non corpore, saltem animo in caminum ignis arden-
tis ; descendant nunc in infernum viventes, ignemque
extingvant ignibus ; ignem Veneris, ignibus in-
fernī. Addo quartum exemplum Christiani & Reli-
giosi illius Scævolæ (Laurentij Fucci Ordinis Cappu-
cinorum) is cum Forolovi Concionatorem ageret,
suamque Concionem pridiē semel multâ jam nocte
pararet, venusta flagitioque simul prompta fœmina
in cubiculum penetravit, cumque provocavit ad libi-
dinem. Ast Laurentius nihil scorto respondens, sed
stans immotus, digitum lucernæ ardenti admovet,
constanterque in illa tenet, donec caro diffueret, non
sine incredibili pariter animi corporisque patientia :
satius ducens totum digitum igne perdere, quam to-
to corpore & animo infernum totum promererri. Si-
mili ergo igni Religiose vel extremum digitum (an
dicam potius, mentem & cogitatum) insere, & temet-
ipsum proba, an habitare possis cum ardoribus sempit-
ernis : considera immensos illos flammarum globos,
qui pro toto corpore & animo parati sunt omnibus ca-
stitatis desertoribus, turpis concupiscentiæ ignem ex-
tingvere negligentibus. Et si me audis, Bernardum
audi serm: 25, de modo bene vivendi dicentem : *Ar-*
dor Gehennæ extingat in te ardorem luxuria : major
L 5 ardor

ardor minorem superet, stridor hammarum horribilium & morem depellat libidinis.

Septimum illudq; efficacissimum conservandæ castitatis præsidium, est viriliter hosti obviare, & primos statim carnis insultus (pravos motus & cogitationes) repellere, easque allidere ad Christum, priusquam radices figant & invalescant; quippe proxima deditio ni est arx, cuius Gubernator vel semel à longè incipit cum hoste miscere colloquia: & facile per omnia anguis penetrat, ubi semel caput ingerere potuit. Propulsanda est sine mora omnis obscoena cogitatio vel minima, & ad alia pia objecta divertendus animus, alias actum est, peristi. Si acu quantumvis parvula veneno tinctâ te vel modice lædi permittas, in totum corpus se venenum diffundet, & necabit te, nisi prævenias, & puncturam tales avertas ab initio. Sic & cogitatio obscoena, quantumvis tenuis, quæ luxuriz mortifero veneno illita est, si semel mentem pervadat, à mente serpit in venas & membra, phantasiam movet, imagines rerum visarum seu delectabilium excitat, ardores accedit in pectore & toto corpore, totamque inferiorem hominis portionem & appetitum horni delectabilis inflamat, superiorem deinde occultâ quadam violentia trahit in periculum, in consensum, in actum illicitum, quo animus simul & corpus inficitur & contaminatur. Castitatem illæsam non conservabit, quisquis cum immundis cogitationibus vel obiter deliberans ludit.

Octavum castitatis præsidium est custodia sensuum; quia aut nunquam aut raro nisi per sensus male custoditos cogitatio turpis, & turpior concupiscentia extatatur. Si domum tuam claudis, ne ingredi possit hostis (qui tibi aut domesticis noceat) nunquam is ingredietur, nocebit nunquam. Quid autem sunt hominis exteriores sensus, nisi janua & introitus sensuum & motuum interiorum? Claude januas sensuum, & jara-

& jam concupiscentiam malam, & cum hac malorum maximum, scilicet peccatum exclusisti. Inter alios autem sensus maximè custodiendus est visus, quoniam sicut exempla multa demonstrant, per illum multi passi sunt detrimenta castitatis. Ideò Eccli: 9. monetur Religiosus vel maximè : *Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius, averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias mulierem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt.* Nunquam in adulterium turpe incidisset pīssimus Propheta David, si magis oculos cohibuisset, nec ambularem in platea formosam Bersabæam curiosius intuitus fuisset. Averte oculos Religiose, ne videant vanitatem. Hinc illa increpatio, quā Virgo Virginum Beatissima, clientem & cultorem suum Rodriquezum è Societate JESU increpavit, quod vel semel altius oculos (ac par erat) levavisset, & casu fœmineum vultum vel obiter intuitus fuisset. Cohibendi ergo sunt oculi ab aspectu non necessario mulierum, puerorum formosiorum, imò quorumcunque venustiorum vultuum etiam virilium, & aliarum quarumcunque rerum, quæ obscenæ in phantasia possint cogitationes excitare. Sed & aures arcendæ sunt ab auditu noxiorum sermonum, profanarum musicarum, cantilenarum fœminearum, & ab omni non necessario cum mulieribus colloquio ; vox enim mulieris vox hyenæ est, quæ dum suavitate vocis audientem allicit, perimit. Ante omnia autem custodiatur & tactus ab inconvenienti, immodesta, incauta, & sensuali contrectatione, præsertim mulierum, puerorum, proprij corporis, vel etiam bestiolarum, seu animaleculorum, quæ forte ab aliquibus cuncte minus & modeste demulceri, palpari, contrectari solent. Sed & gustus custodiatur, oportet, qui vult bonus Custos esse castitatis : ideoque

Nomum castitatis præsidium est sobrietas seu temperanza

perantia & abstinentia in cibo & potu. Nam sobrietatis filia castitas est ; à sobrietate castitas generatur, à sobrietate nutritur. Sicut ē converso luxuria gignitur & nutritur à gula & ventris ingluvie. Sine Baccho enim & Cerere friget Venus : & sicut

Castæ fuit raro, quæ bene pastæ caro.

Sic è contra plerumque

Castæ est (nec raro) non bene pastæ caro.

Difficile inter epulas servatur pudicitia, inquit Hieronymus. Et Bern: *Nunquam magis periclitatur castitas, quam in delicijs.* Quare Religiosus, qui verè castitatem amat, & verè castus esse desiderat, sobrietati & abstinentiæ studeat. *Frena gulam,* inquit Gersenius Noster, *& minorem carnis inclinationem facilius frenabas.* Certè hostem nutrit & confortat, angvem in sinu fert, qui gulam, qui ventrem nutrit & sovet. Tu ergo Religiose, tu castitatis hostem armas, tu animas, tu facis potentem, dum carnem carnibus seu quibusvis cibis satias, & vino nimis inundas, eam omni mollitie palpas, & illecebrosè alis. Aliud fuit Hieronymi consilium, hoc amplectere, hoc sequere, si tibi, si castitati tuæ consulis : *Ego a se faciam* (inquit ille, sic alloquens carnem suam) *ut non recalcitres, non te bordes pascam, sed paleis ; fame te conficiam & siti, ut cibum potius quam lasciviam cogites.* Omitto innumera Sanctorum exempla, qui solius castitatis tuendæ studio, jam carnium, jam vini usum sibi interdixerunt, non nisi temel in die se reficientes, & etiam tunc plerumq; solo pane & aquâ contenti ; quo factum est, ut cibum potius quam lasciviam cogitarent caro & corpus eorum : non enim ignorabant hi Sancti, quod S. Leo testatur serm: de jejunio : *Quod de abstinentia procedant castæ cogitationes, bona voluntates, salubria consilia, dum per hujusmodi abstinentiam & temperan- tiā, per inediā aut jejuniū caro concupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innovatur.* Sicut enim

flam-

flamme ardentes ac fævientes extinguntur, materiae
(seu fomenti & pabuli) subtractione ; sic flamma Venereæ subtractione superflui potūs & cibi sopitur & extinguitur. Vide dicta Instrum: 13. 14. 35. 36.

Decimum castitatis præsidium est corporalis mortificationis studium : puta per asperitatem vestium, cilicij, loricæ, per disciplinas, vigilias, humi cubationes, æstu, algores & alia hujusmodi, juxta id, quod dicit Apostolus 1. Cor: 9. Corpus meum castigo, & inservitutem redigo : de quibus vide dicta supra Instrumento 11. 13. & 37. Qualiter vero Sancti varij corpus suum variè castigaverint, & sic in servitutem castitatis redegerint, asseribus nudis aut paleis indormiendo (vel non nisi stando aut sedendo somnum capiendo, eunquam ad paucas horas contrahendo, sævis insuper flagellis cum S. Dominico ter singulis noctibus corpus cruentando, illud cum S. P. Benedicto vel in vepres, vel cum Francisco Seraphico in nives, vel cum Ignatio Loyola in stagnantes & gelidas aquas, cum alijs in ardentes prunas titillata corporis meinbra projiciendo) & alia hujusmodi mortificationis exempla notiora sunt, quam ut opus sit ea in medium astre. Certè nisi caro nostra flagellis, cum discretione saltem (quæ Mater virtutum est) atteratur, cilicijs fricitur, mortificationum sale conspergatur, frigore vel æstu siccetur, in mollitiem, in fœtorem luxuriæ, in peccati putredinem diffuit. Ad hanc corporis mortificationem reducitur sequens præsidium.

Undecimum castitatis præsidium est labor assiduus, sive aut corporis aut certè animi occupatio, seu fuga otij. Quantum vero periculi creet otium, & otiosæ turbæ consortium, declaratur exemplo illo ex vitis PP. desumpto : Erat ex antiquis Patribus castitatis providus amator, qui è solitudine veniens Alexandriam, ut ope manuū suarū, textas è vimine corbulas venderet, advertit ibi Juvenculum Monachum otiosum, & forsan

sanotij causā, seu (ut aiunt) propter longum quoniam
 ingredientem publicam tabernam, ut otiosae illic se
 turbæ (qualis communiter in tabernis est) sociaret ;
 eamque ob rem non parum indignatus, zeloque ac
 census zelosus senex, quærebat occasionem foris allo-
 quendi cum ; igitur evocatum è caupona, manuque
 à plebe ociante in secretiorem locum ductum sic allo-
 quitur : Nescis Frater, quod Angelicum gestes habi-
 tum ? nescis te juvenem esse ? an te latet hostem semi-
 per nobis retia tendere, interim tu otio vacare, taber-
 nas ingredi audes ? otiosae turbæ otiosus assistere ? ubi
 multa audis, quæ non decet audire, vides, quæ videri
 non licet ; sedesque inter viros & mulieres (turbam
 hoc loco plerumque otiosam) obsecro te in Christo
 charissime Frater, desine in his locis commorari, desine
 otiali, redi ad locum tuum, ad cellam tuam, labores
 sicut bonus miles Christi : hostem pellit labor fortis,
 & non timet tela mortis ; otiali desine. Indignatur
 Juvenculus Monachus, & cum indignatione respon-
 det : *Vade senex viam tuam, Deus non querit, nisi cor-*
mundum & purum. Tunc in coelum manus attoillens
 senex exclamavit : ô Domine Deus ! hic Juvenis in
 locis dissolutis, & cum hominibus dissolutis (quales
 solent esse otiosi) frequenter agens, otio vacans, cor-
 mundum & purum conservat (scilicet !) quod ego
 quadraginta annis jam in solitudine degens, & in la-
 boribus quasi à juventute mea constitutus ægrè im-
 petro aut possideo. Quo sane dicto efficaciter perstrin-
 xit Senex eos omnes, qui, cum castitatem & puritatem
 cordis & corporis ament, aut se amare jactent, otium
 tamen & otiosam turbam non devitant. Castitatem
 non amat, qui amat otium. Antiquo proverbio ot-
 ium dicitur *pulvinar diaboli* ; sed huic puluillo non
 diaboli tantum, sed homines etiam, præsertim castita-
 tis minus amantes indormiunt, & obdormiunt in
 morte peccati & fœdæ luxuriæ ; adeò, ut, quod de
 Egi

Ægisto Ovidius, hoc de otioso fortè (quod absit) Religioso dici possit: Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter. Dicam ego: Quæritur, hic Monachus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Econtra

Otia si tollas, perier: Cupidinis arcus,

Extinctæq; jacent, & sine luce faces.

Semper ergò occupatus sit Religiosus, qui à libidine præoccupari non vult. Semper habeat, quod agat, & agenda per totam diem designet, præfigat, proponatque sibi manè; ne agendorum incertus, labatur in otium, otiosam circuitionem, & langvidam circumvagationem, & exinde in retia diaboli, & luxuriæ. Si vis castus esse (monente Mezlero)

Rem gere, ne cessa; lege scripta, aut scribe legenda.

Funde preces, animum perceole, semper age.

Duodecimum castitatis præsidium est fuga & declinatio occasionis, omnisque familiaritatis aut conversationis cum pueris & mulieribus: A mulierum autem, et si honestarum, et si piarum, familiaritate cavidum quam maximè: nemo his de sua probitate præsumat, aut in præterita sua castitate confidat. Neque enim Davide sanctior es, nec Salomone sapientior; uterque tamen per mulieres lapsi sunt. Unde Hieronimus Nullo pacto, ait, faminarum cum Clericis permittitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis perussio, nocivumq; genus est femina; cum proximat stipula, viro scilicet, incendit ignem. Hæc ille. Mulier est laqueus comptus (ait S. Ephrem) splendida facie, collo excelsa, geniq; arridens, voce decipiens, sermone etiam indifferenti pelliciens, factiæq; occidens: Heu cauti Religiosi! nimium ne credite, ne confidite vobis aut mulieribus! Quod si ita est, cur Religiose non potius cum Aquinate, titione mulierem fugas, quam in familiarem conversationem te insinuas? Cur non potius cum Bernardo exclamas: Latrones, latrones: quam ut cas-

agnor-

agnoscas amicas, & amicè cum illis conversari gaudreas? Sed dicet forsitan aliquis Religiosus, ut saepe dici solet: fœmina hæc aut illa, cui frequentius aut libenter colloquor, cui familiaris sum, honesta est, pia est, vel etiam consanguinea, aut aliæ nota est, & notæ virtutis; est mea à Confessione filia, &c. cur cum ea agere non liceat, nil mali intendo, nec fiet mali quidquam, avertat DEUS! Verum attende, quod ait S. Cyprianus: *Lubrica spes est illa, quæ inter mera peccati somenta salvare se sperat. Impossibilis est liberatio, flammis circumdari, & non ardere:* Et (ut verbis Anselmi Bisling: digress: 13. in fine utar) nunquid si illam pudicam & te sortem, immo ferrum ac ferreum esse putas? illa magnes non est, ut attrahat? nunquid illa flamma non est, tu stupa, ut te accendat? nunquid illa aqua non est, tu sal, ut dissolvaris. Trahitur ferrum, comburiatur stupa, sal dissolvitur, si ferro magnes, flamma stupæ, & sal aquæ jungatur. Memineris, quæso, etiam de duris frigidisque silicibus diffilire scintillas, quæ ardent, & adurunt? Sicut enim de ferro nutritur rubigo, de vestimentis procedit tinea, sic de muliere emerget aculeus, & tinea conscientiæ, rubigo concupiscentiæ, fomes peccati; quam ob rem plus expedit bene timere, quam male fidere: abundans cautela non nocet, immo non tantum non nocet in hoc genere, sed & necessaria est. Heu quam longè utilius est, ut infirmum, fragilem, te Religiose agnoscas, atque omnem fœminæ approximationem, familiaritatem, ac familiariorem conversationem, blanditias, lenocinia, tanquam Syrenum cantus, & basilisci sibilos refugias. Si raro alicui (inquit S. Cyprianus libro de singularitate Clericorum) tanta fiducia est de immobilitate propria firmitatis, saltem sollicitus reformidet, ne ipse sit scandalum oculis alienis: nam etiam si quandoq; conscientia non habeat vulnus criminis, habet tamen fama laesionem.

Periculosa ergo est omnis (NB. omnis) familiaritas

ritas cum fœmina quacunque : præsertim Religiosis, qui non quacunque sed Angelicâ & prorsus illibata debarent castitate fulgere. Incautiorum igitur in hoc passu quorundam Religiosorum periculum, & incircumspecctionem deplorat, non immerito B. Laur: Justin: dicens : *O quot sub specie charitatis seducuntur ! O quanti simulata pereunt dilectione ! Heu quam multi in principio pure & sine deceptione versantes, & nimia familiaritate paulatim insecli in immane precipitum delapsi sunt eò miserabilius, quò inexpectatius.* Hæc Laur: Cui accedit Doctoris Angelici testimonium opusc: 64. de periculosa familiaritate mulierum : *Frequens, inquit, familiaritas cum mulieribus, aut familiaris frequentia domesticum est periculon, delectabile detrimentum, & malum oculum bono colore depictum ; non tam hoc statim perpendunt, donec in pectore hæreat letalil sagitta ;* Hæc S. Thomas Ista vero Augustinus : Sermo brevis NB. & rigidus NB. cum mulieribus est habendus, nec quia sanctiores fuerint, NB. ideo minus cavenda : quod sanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & sub praetextu humanitatis, pietatis, aut blandi sermonis, innescet se virius libidinis. Mirabantur de Christo Discipuli, qui Deus erat & homo simul : Joan: 4. quia cum muliere (scilicet Samaritanâ) loquebatur ; & mirandum non sit, si tu Religiose, homo, peccator, homo fragilis, carnem infirmam gerens, & naturam infectam ex infecto Adami semine, loquaris liberè, loquaris intrepide, loquaris frequenter cum muliere. Si juvenis es ? nulla securitas est. Si senex es ? memineris S. Hieronymi, qui, licet senex, in sylvis & antris degens, corpus castigans lapide, & in servitutem redigens, macie exsul, toto corpore exuccus, dixit : etiamnum igniculum in se vivere, etiamnum illicitis mentem æstuar defiderijs, atque libidinum ebullire incendia. Et tu audes præsumere de te, quod tale incendium amplius nequeat resuscitari in te ? Bernardi veridicum dictum

est: majus est miraculum inter vehementes occasio-
nes non cadere, sive senex, sive juvenis sis, quam mo-
tuos suscitare. Nunc rogo Te Religiose, quisquis es!
præsumisne de te, quod possis suscitare mortuos?
(quod minus est) utique non: & tamen præsumis
inter frequentes & vehementes occasions posse non
cadere, sed castum perseverare, quod est majus? non
ne inanis spes tua est, & præsumptio magna, merito
que castiganda divinitus, permissione lapsus; qualis
utinam nunquam eveniret. Nonne autem occasio
proxima, periculum vehemens est, cum muliere, vo-
maxime domestica, aut ancilla domus, ancillavè cu-
biculi, frequenter, libenter, familiariter conversari, &
non solum in eadem domo, sed & in eodem libente
cubiculo commorari. Quid tibi necesse est, ait Hie-
epistola 47. in ea manere domo, in eodem persever-
re cubiculo, ubi quotidie necesse habeas, aut peri-
aut vincere: quis unquam apud viparam vel ad bre-
ve tempus maneat securus? Sed dices (ait S. Cyprian.)
etiam Elias mansit apud viduam. Ait rogo te, apud
qualem Viduam? ad qualem Viduam Elias habuit in-
troitum? nimirum ad pauperem & famelicam, ubi
periculum non erat lasciviæ, quia sine Baccho & Cer-
te friget Venus. Ecquid Eliam compulit ad tale ho-
spitium, nisi fames? Verum quisquis es, qui Eliæ vi-
esse discipulus & imitator commemoratione Viduat-
prius solitudinis afflictiones & quadraginta dierum
tolera jejunium cum Elia. Hæc ille. Hæc insuper pe-
nitositas ostenditur exemplo, quod allegat Pexen-
felder histor: 79. de pio quodam Episcopo, vitam agen-
te dignam Episcopo, hoc est, Ecclesiasticâ & Religiose
simâ personâ dignam, & ad tanti officij obligationis
que leges exactam. Implevit sane conditiones, quas
Paulus posuit: Oportet Episcopum irreprehensibilem
esse, sobrium, castum, sanctum, &c. Indoluit hæc pie-
tas Orco; qui ut Virum castum & continentem in ali-
quando

quam turpem labem & lapsum impelleret, formam induit formosæ puellæ, & quidem pœnitentis & (tangam noxas apud eundem expositura esset) accedentes. Novit diabolus fœminas etiam pias sub prætextu præsumptæ pietatis vel maxime solere decipere, & in casum præcipitare viros quantum vis Religiosos. Episcopus ergo aut nimis credulus, aut nimis zelosus annuit, & aures præbet confitenti. Puella personata Confessionem exorsa, Regio se stemmate natam ait, et si vilitate vestium dissimularet natalium splendorem, ne à parente Rege (cujus iram & oculos vix esfugerat) deprehensa, Viro Principi invita despondetur, cum Virginitatem, quæ sibi vitâ charior esset, Deo vovisset. Cum igitur servandi voti conservandæque castitatis nulla supererisset ratio, ajebat se perfugium omnne suum in ejus Christiana charitate & sancto zelo collocasse. Ultque magis emolliret pium Antistitem, lacrymas adjunxit. (Quis hic Religiosorum sibi quidquam mali præfigiret? quis infidias castitati strui, quis subesse ullum crederet periculum?) mirabatur hic solum Præful, quod in ea Virgine tanta sit concordia formæ atque pudicitiae: tanta concordia inter formæ elegantiam & vitæ innocentiam: tanta connexio cum generis claritate, & claritate virtutis: utrumque respiciens atque suspiciens Præful, teat Regiam Virginem recipit, asylum promittit, separatam habitacionem attribuit, & ne quid charitati deesset, hanc etiam ad mensam invitat & adhibet. Illa ut suâ modestiâ magis accenderet benignitatem hospitatoris, speciem abnuentis præfert, venire ad communem mensam recusat, metum prætexens, ne forte agnita, quæ & qualis esset, tandem proderetur Regi & Patri suo; inquisiens: *longas esse Regum manus, & formidabiles iras; adhuc insidias sibi velut columbae ex ungibus accipitris vix evadentis, timendas esse.* Ecce quis dolum putaret esse in ore ejus! Solatur ergo pavida Episco-

pus, securitatem à sua charitate & longinquitate fugaz
 quā evaserat, pollicetur, jubet securam esse, & ire ad
 mensam. Illa tanquam officijs & favoribus viata,
 humanitati cedit, & mensam accedit; sed ecce, quis
 assederat pascenda, convivatorem magis ipsa pascit;
 formā scilicet & vultu venusto. Tanta igitur amoris
 impuri in Præfule fuscitatur flamma, ut jam locum, &
 modum circumspiceret perpetrandi flagitiū. Eò ni-
 mirum deducit etiam cum castis, cum modestis, cum
 sanctis (ut apparent) mulieribus, incauta & liberalior
 conversatio & familiaritas, esto sub prætextu pietatis,
 & boni operis assumpta! Verum dum æstu illo &
 perplexitate laborabat Episcopus, ecce peregrinus qui-
 dam improvisò adest, è cœlo missus, qui fores conclu-
 vis pulsat, & se insinuat. Svadebat invitata, ut exclu-
 deret odiosum interpellatorem. Sed Præful melior
 quodam instinctu admonebatur, ne hospitium dene-
 garet peregrino. Institit illa: saltem admittendum
 non esse, nisi ad propositas quasdam quæstiones apte
 prius responderet; movet ergo quæstionem primam
 puella, & interrogari jubet hominem, ut edisserat, quid
 maximè mirabile sit eorum, quæ DEUS in re patva fe-
 cerit? Respondit peregrinus: Diversitas facierū. Ne-
 que enim ab exordio mundi duos esse mortalium re-
 pertos, qui sibi vultu per omnia similes fuissent aut ef-
 sent. Mox puella alium solvi nodum postulat, quæ-
 ritque ex eo: ubi terra altior sit cœlo? Subjicit pere-
 grinus: in Empyrea Beatorum sede, ubi Christi huma-
 nitas ad dextram Patris confidet. Mirantur ingenia
 um peregrini, circumstantes domestici, ejusque Sapi-
 entiae applaudunt. Tertium ergo dubium subiungit:
 puella, & per famulos quasi Sphynx ex Adypo quærent:
 quantum spacium sit è cœlo ad terram? ad quam in-
 terrogationem peregrinus: vade ad eum, qui te misit
 ad me, eumque ipsum de hoc percontare; ipse enim
 hoc intervallum emensus est, dum è cœlo in abyssum
 Tar-

Tartari dejectus est: is enim Cacodæmon est, non mulier, qui Episcopum seductorū, mulieris formam assumpt. Hoc responsum non ferens diabolus, & advertens fraudes suas esse detectas, momento disparuit, & peregrinus quoque subito videri defit, sicut enim S. Andreas Apostolus, Patronus alias ejusdem Episcopi. Ubi vides Religiose, optimè nosse diabolum, ad homines etiam sacros pervertendos, nihil esse efficacius, nihil aptius, quam mulierum conversations, quamvis innocentes, quamvis sanctæ, quamvis casti propositi tenaces appareant. Ponamus enim, quod re ipsa puella illa fuisset innocens, sancta, casta Virgo, persecutio nes patiens propter justitiam, & castitatem; quod re ipsa fuisset Regis filia, persona Nobilis, Regibus edita, prout sibi persuadebat male credulus Episcopus; adhuc tamen fuisset æquale, imò maius periculum. Periculosa est omnis cum omni fœmina conversatione, qualiscunq; illa sit; licet forte pietas, humanitas, politia, & discretio exigere vel admittere viderentur conversationem. Non quod conversatio nulla planè esse possit cum sexu fœmineo, & pijs fœminis, sed cauta, & plus quam cauta. Episcopus equidem sanctimoniae laude clarus, inhumanitatis crimen esse credebat, Virginem peregrinam, Regiam, piam, hospitio non recipere, cibo non reficere, dolentem non consolari, hinc familiarius conversaturus, uberiorus consolaturus domo recipit, & adhibet mensæ puellam, nobilem hospitam, non sine grandi malo & periculo. Nā ignis in cuniculo subterraneo positus, ac gliscens, non statim excitat incendium, sed serpit lente, vel tenui nutritus pabulo; docet cursum in amplam materiam pyrij pulveris delapsus, mœnia, arces, urbes in sublime ejaculatur & delicit; ita & per oculos hujus (pijssimi alias) Præsulis, cogitationes aliæ & aliæ velut scintillæ in fornacem concupiscentiæ illapsæ, brevi totum viri pectus everissent, incendiissent. Quidni & tibi idem evenire pos-

sit? Hec pessus, hic ignis (inquit Bern: cap: 29. de intona domo) eò ad nocendum est proclivior, quod ad repellendum difficultior; Subtiliter intrat, & mentem occupat & nisi subito expellatur, allicit, & incendit. Sic nimis libidinis incentor diabolus saepe etiam charitatem opera in fomenta turpis incendijs convertit. Et si Religiosus non timeat sub praetextu pietatis, sub praetextu humanitatis, politiae, civilitatis, affabilitatis cum foemina committi? vana miscere colloquia? maxime autem solus cum sola. Jam perijt, quisquis habet sibi nimium fidit. Quid si ultrò conversationem inHierum querat Religiosus? ultrò eas adeat, ultrò se insinuet virorum societate & cœtu relicto? Cave Religiosus extra Cœnobium, in domibus secularium ad quas contingit invitari, in hospitijs, in quibus convertere quandoque necesse est, ne praetereundo virus cum foeminis, cum puellis ultrò familiarem, loquacem, facetum se exhibere presumat, sub praetextu pietati, vel humanitatis, civilitatis, vel etiam pietatis. Tamen enim verò vel maximè triumphat ridetque diabolus si quem probum alias Religiosum, aut eximiæ virtus sanctitatisque virum, in ruinam per foeminam datur possit, sub praetextu honestæ conversationis, observationiæ debitæ, vel humanitatis. Hinc in confortio & conuentu plurium hominum, viris & foeminis una intervenientibus, bonum opus facies Religiose, si quantum poteris, à foeminis, earumque alloquio & confabulatione te libentius subtraxeris, & viris potius adhæseris contempta notâ incivilitatis, quam forte poteris incurgere. Sic enim duplē virtutem exercebis, castitatem & humilitatem; seu opus dupliciter bonus. Sic enim vere castitatem amabis, & Instrumentum istud optimè observabis. Unum verò adhuc suggero laudabile hujus Instrumenti observandi consilium. Contingit quandoque ex itinere diverti in hospitijs ubi abest hospes, sola hospitissa domum administrat.

cellerariorum & mediastinorum munia obeunt ancilæ, mensas sternunt, cibos potumvè ferunt, ad mensam serviunt. Hic occasionem habere potes optimam, optimum bonum opus exercendi, si discursus tuus cum fœminis non nisi modicus & modestus sit, ac summè circumspectus, cavendo cum ancillis servientibus multùm conversari, nugari, jocari. Qui hic facetiæ, ineptiæ, familiaritates amat, castitatem non amat, quia illam exponit periculo. Talis enim liberior confabulatio licet aliquando, sèpe tamen non caret periculo, lapsus saltem interni aut temptationum. Et licet forte in te non sit periculum, in illis forsitan periculum non abest. Ille autem verè castitatem amat, qui eam non solum in se, sed etiam in alijs propugnat. Non sum ita hebes, quòd aut nihil aut nunquam cum ulla fœmina loquendum putem, sed hoc aio, opus te facturum bonum, si, quantum potes, & circumstantiæ permittunt, abstinere, & te mortificare nitaris, saltem ut omnis excessus & inordinatio vitetur, & modestia (omnibus hominibus nota) servetur. Tantò magis castitatem amas, quanto minus fœminas aut familiaritatem cum illis. Quantò plus fœminas odisti, tantò magis castitatem amasti. Fac hoc; & Instrumentum hoc probè servâsti.

Synopsis & praxis hujus §. 1. Pro castitatis dono seu impetrando seu conservando, diligenter, ferventer, quotidie orare Deum.

2. Specialiter Beatissimam Virginem in Patronam invocare.

3. Alios eertos Sanctoros bujus virtutis tutelares eligere, & Sanctorum Reliquias venerari.

4. In omni carnis tentatione ad Divinam respicere omnipræsentiam: mortem cogitare & inferni panas, quomodo multi indies pro tali peccato in Gehennam incident.

5. Primos statim carnis insultus, & pravos motus, cogitationesq; repellere.

6. *Sensus probè custodiare, visum præsertim & auditum, imò & tactum ab omni incauta & sensuali rerum contrefactione.*

7. *Sobrietati, temperantiaq; studere in cibo & potu.*

8. *Corpus castigare certis mortificationibus.*

9. *Otium fugere, & nunquam non occupatum esse seu corporis seu animi occupationibus.*

10. *Fugere, & declinare omnes etiam remotas occisiones, omninoq; familiaritatem & conversationem pro possibili tum cum pueris venustulis, tum vel maxime cum mulieribus, quantumvis pijs. Vide, an feceris hæc aut facere velis posthac.*

¶. III.

Exempla amantium & illibatè conservantium castitatem.

UT è multis, præsertim ex Ordine S. P. B. Sandoru[m] Ordinis exemplis pauca, è sexcentis aliqui in medium adferam, qui & castitatis amantes, & h[ab]itus Instrumenti suere observantissimi, occurrit prius, ipse Legislator Noster, S. Benedictus. Quam amans fuerit niveæ puritatis, vel ex admirando illi exemplo liquet: dum castitatis amore carnem propriam odio habuit, illam huic longè prætulit, & carnem minimè pepert, nt parceret castitati, toto se corpore cruentans potius, inter spinarum aculeos, quam ut videretur minimo Veneris læderetur aculeo. Rem gestam narrat fusiùs S. Greg: in vita c. 2. quod quadam die tanta carnis tentatio Virum sanctum invaserit, quantum Vir S. antè nunquam haberit, eò quod malignus spiritus ante mentis oculos, fœminam visu pulchram redduxerit, tantoque igne animum servi DEI inflammavit per speciem illius mulieris ob oculos positam, usque crescente væfani amoris incendio jam penè deserere

eremum voluptate vixtus deliberaret. Verum super-nâ gratiâ respectus (ut loquitur Greg:) ad semetipsum reversus est, & mox exutis indumentis nudum se in urticarum & spinarum fruteta conjecit, atque in illis spinarum aculeis & urticarum incendijs tam diu se volutavit, donec toto corpore saucius, vulneribus innumeris corporis, præverteret vulnera mentis. Verum ex eo tempore ita in eo est tentatio omnis carna-lis extincta atque edomita, ut tale aliquid in se amplius totâ vitâ minimè sentiret. Nonne hoc est castita-tem amare? Qui rosam amat, seu candidam seu pur-puream, spinas non horret propter rosas. Quid tot in-ter spinas quæsivit Benedictus? niveam rosam casti-moniae, quam proprij sangvinis rostro pinxit & fecit purpuream. In cujus rei certiorem fidem ipsæ illæ spinæ (si historijs fides est) migrârunt in rosas. Dum-temum enim illud, in quo Divus pro castitate pugna-vit, aliquot post sæculis invisente D. Francisco, spinas-que illas exosculante, in pulcherrimum rosetum est commutatum; teste Wadingo in Annalibus Mino-rum Anno Christi 1222. num: 5. Sangvine ergo suo charior Benedicto castitas fuerat. Neque tamen mens mea est, ut velim à quovis fieri idem, ut quisque Reli-giosus in senticeta sese conjiciat, & castimoniae rosam proprio cruro tingat, sed fatis rubescit hæc rosa casti-tatis, si ad inhonestâ quæque erubescit: sufficiet tibi, si non tam ad spinarum aculeos, quam ad conscientiæ stimulos te conjicias, & convertas.

Non absimilis castitatis amator & S. P. Benedicti imitator fuit S. Bernardus; qui etiamnum adolescens propter egregiam formam vehementer solicitatus à mulieribus, nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuit; ut habetur in lext: Breviar: Semel forte cum Sodalibus in hospitio de via divertens re-fecto corpore cubitum concessit. Quis credit dormi-enti aut certe jacenti certamen instare, atque in pu-

gnam provocari? dum enim quieti fatigatior indulget, ecce lasciva puella, Bernardi amore capta, clam ad lectum adrepit, castissimumque peccatum ad flagitium solicitat. Quid hic Bern: ? Ubi advertit insidias pudicitiae strui (ut hostem fugaret, atque ad facilius fungandum, alios quoque socios excitaret) elata voce exclamavit : Latrones ! latrones ! simulque cum clamore & proditione lenam in fugam, periculum in visitoriam vertit. Cumque socij experrecti riderent, quod Bern: in umbris latrones somniasset, affirmat is, eum clamorem non ex ore somniantis, sed serio suppetias inclamantis prodijisse, cum fœmina impudens pudori ejus insidias strueret, quæ clamore illo prodita ac fugata, terga verterit. Hanc inter latrones numerandam censembat Bernardus, utpote quæ pretiosum cœstitatis thesaurum. Sicut fur in nocte ita veniens, cœripare occultâ vi tentasset. Aliâ vice Bernardus ipso incautior, fortè curiosiores in fœminam oculos fixerat, & mox libidinis flamas vehementes suscitari sensit. Quid hic Bernardus ? Gelido stagno quanto-
cyùs collo tenus tam diu se mersit, donec penè exangvis, Venerem in regno suo mergeret, nec eam amplius sentiret. Hæc Bernardus juvenis. Nos viri pro castitate si minus facimus, nonne minus amamus ? Mergenda & nobis, enervandaque Venus est aquis mortificationum, aquis lacrymarum, ejusq; insidiae prodendæ vel clamando ad Deum, vel Seniori spirituali eas revelando. Ecquid mirum est, Divum Bernardum castitatis amantem, Veneris ardorem quis extinxisse ? Quippè ignem aquis extingui nil novi est. Illud magis novum & mirum, ignem extingui ignibus, id quod contigit in Sicilia, tempore S. Guilielmi Abbatis Ord. Nostri. Promiserat Regi Siciliæ Rogerio, meritricula quædam impudens, se Guilielmum ad scelus, quem alias Rex colebat & æstimabat, faciliter negotio pelleaturam : Et ut fidem faceret promissis, Adiit virum sanctum pessima mulier, bene compta &

vel sic ad facinus fatis instructa: solicitat ad turpe flagitium. Quid Guilielmus: Recte (inquit:) salva res est , en mox lectum tibi sterno : Dixit, & è camino ardentes prunas protulit , quas in strati modum composuit, seseque primus imposuit ad instar illius castissimi Sacerdotis, de quo supra. Et ad eundem lectum Cypridis Alumnam invitavit. Ast illa facto territa, talèmque lectum perhorrescens , ad frugem rediit, & libidinis deinde flamas excusit. Vade Religiose, & tu fac similiter : si te venus titilliet, hunc ei lectum sterne, vel potius apud inferos jam stratum cogita , & crede , in fumum abibit venus. Menol: 27. Julii. Nisi malis sequi S. Wolstanum nostrum , qui foeminam pulcherrimam & unà nobilem , ipsum ad lasciviam provocantem, inflictâ alapâ , ut domo totâ exaudiretur, abegit, dicens : *Vade mortis filia, vas Sathanæ, somes lascivie:* Et vel sic exiliente ex oculis igne, gehennalis ignis eam commonefecit. Vel sequere S. Thomam Aquinatē, qui ardente titione lascivientem mulierem , & cum ea etiam Veneris ardorem fugavit.

Addo alium castitatis amatorem S. Vulmarum Abbatem , cui in extremis penè agenti, Religiosæ Virgines, eum invisuræ adfuerant. Ast Vulmarus etiamnū maculam Virgineæ puritatis vel sibi, vel illis timens(cuius tenera nimis & delicata custodia est) negavit illis aditum ; Nec videre eas voluit, nec videri ab illis. Postquam exhalavit sancto fine animam & sacrum corpus accensis undique cereis non sine magno hominum comitatu fuisse elatum, adsunt iterum illæ sacræ Virgines , saltem post mortem sanctum Patrem visuræ. Sed ecce castitatis amor (quem Vulmarus aluit vivus) nec post mortem fuerat extictus. Cùm enim alia omnia cernerent, feretrum videre non potuerunt. Sed quasi caligine septum videbatur illis Sanctorum libibus. Tam cauti fuere circa castitatem tuendam Viri sancti, ut nec à morte à sequiori sexu se vide-

videri vellent. Tu si nec videre nec videri à Virginibus refugis, castitatem nec in te, nec in aliis amare videris.

20. Julii An. Mariam. Benedit.

Nequè solum in virili sed & in fragili sexu amorem eximium & insuperabilem ostendit Deus: Infimum sexum eligens ad prælucendam facem nobis, ut sequamur vestigia earum. Sic S. Florentia Virgo Abbatissa florem pudicitiae à teneris, Sponso Virginum in Coenobio dicavit, undè & amore Angelicæ castitatis, delicias omnes aversata, exemplo suo plurimas alias Virgines post se traxit, adeò ut quadraginta hujusmodi sacrarum Virginum Monasteria una Florentia feliciter custodierit & rexerit, & in his supra mille Virgines numerarit. Interea moritur Florentia: & mulieris post mortem annis irruentes in Hispaniam Mauri imminiebant Parthenoni propè Ecyam Urbem sita, quem olim incoluerat Florentia, quemque tunc etiam 300 Virgines inhabitabant. Quid ageret pia cohors? Nulla fugæ patebat via: mori quidem non detrectabant, sed pudori Virginitatisque flori timebant. Unanimi igitur consilio & cœlesti instinctu, arreptis cultellis singulæ sibi facies multis vulneribus deformarunt. Tam altas virtutis & castitatis amor (instillante Florentiâ) egit radices! Hinc barbari illi (quanquam libidine arderent) tam male pictos vultus naufragantes, Virginitatis florem reliquerunt intactum; omnes tandem ad unam trucidantes, ad Virginitatis, etiam Martyrii palmam eis adjunxerunt. Quid sentis Lector de cali & tanto castitatis amore? Tanti erat etiam fragili sexui florem puritatis tueri, quem Tu forte tam leviter prodigis? **20. Junii. Ann. Mar. Ben.**

Sextum Virginalis pugnæ & victoriaræ exemplum pono ob oculos in S. Amelberga Virgine & Sanctimoniali nostri Ordinis: in qua impares vires corporis, magnanimitas animi sepplevit: hæc genere, formâ, membris & animi dotibus nobilissima (quæ plerumque

Impuri alieni amoris illicia & castitatis laquei sunt de castitate eo ipso periclitata est, quam amabat unice. Exarserat quippe in Virginem principem Princeps Carolus Martellus, atque adeo ille alias genitum victor, exco amore vixit, cum frustra pudicissimum animum blanditiis inflesteret tentasset, eam in obsequium & vota sua, etiam vi adhibitâ trahere, immo rapere contendit. Ast generosa Virgo, & castitatis amatrix fidelissima tam strenue cum violento amore luctata est, ut brachium sibi a colluctatore Carolo frangi potius voluerit, quam pudorem pudorisque firmum propositum infringi: sicque vel fracto brachio a Virginis fortitudine in pudorem datus est impudens leno; palmarumque de castitate ei brachio (licet frasto) extortus. Hanc ergo illa, a recenti victoria glorioius virtem, in Parthenonem Melisensem Benedictinum intulit, Christoque & D. Benedicto sacravit. Cujus sacrum corpus cum a morte, adverso flumine veheretur, sturionum magna frequentia (piscium id genus est) navim & cum navi sacrum corpus, non absque prodigo comitabatur. Ipsi ergo pisces aquarum, Cypri- dis (ex aquis ortæ) domitricem honorarunt & triumphum condecorarunt. In pudorem nonne dat hæc Virgo Viros Religiosos, si qui manus potius dant Veneri aut Cupidini, quam ut manu vel brachio (prout S. B. loquitur in Regulæ cap. I. contra diabolum vel Cupidinem, Veneremue decertent. *Melon. 10. Julii.*

Iterum se offert alia Virginitatis pugna, & gloria- sa victoria in Francia. Glodesindi enim nobilissimæ in Francia Virginis aeris ad tuendam integritatem cum Hymenæis lucta fuit: Glodesindem etenim vel invitam & reluctantem parentes desponderunt viro illustri genere, sed sceleribus illustriori. Verum favente Virginitati Numine, prius is è medio & vita sublatus est, quam in thalamum Glodesindem traducere potuerit,

rit. Aet expirantibus primis, mox ad secundas nuptias parentes filiam adigere conabantur. Hic ergo illa non jam tutum rata, periculum expectare secundum, fugam arripuit (certiorem victoriae in hoc genere viam.) Et Metim delata in D. Stephani templum recepit se, scilicet ad cœlestem Sponsum (quem omnis sponsus terrestri præferebat) confugit. Et certè recepit eam in protectionem & tutellam Sponsus cœlestis quippe vigilantibus ad templi fores satellitibus (quos Pater submiserat) exituram templo rapturis, septendio jejuna sed vegeta, altari, orationi, Christo adhæsit. Quo clapo laureæ locò Angeli de oculo missi sacrum flammeum castæ Virgini, videntibus paternis militibus, solemni ritu imposuere. Hinc isti contra tam benē tectam & protectam cœlitus castitatem nihil amplius moliri ausi, ad illius pedes ultro se viatos & tantâ, virtute captos abiecerunt, qui venerant, ut illam caperent, & captivam domum ducerent. Venia quæ rogatâ & impetratâ, vacuis manibus, sed admiratione pleni, ad parentes Virginis redierunt. Et hi quoque demum nobili castitati subscripterunt. Inde libera Glodesindis, voto se mox Deo obstrinxit: addo & illud teneri sanctique pudoris miraculum, castitis amatoribus in exemplum; *Quod vitâ quoque funéra incorruptum multis annis corpus manserit;* id cum aliquando è tumulo erueretur, faciem ejus temere Monialis tetigit, sed non impunè: quippe vertente nondum anno mortem obiit: ipsa vero S. Glodesindis ad hujusmodi contactum quasi erubescens, statim recente è naribus sanguine manavit. Et Religiosus non erubescat ad impudicum seu proprii seu alieni corporis contactum, si etiam in carne mortua tangi vel à pia & ejusdem sexus manu indignatur intacta Virginitas? Eam quisquis amat, si intactam servare curpit, omnem quantumvis non inhonestum contactum vitet. Flos enim delicatissimus castitas est, contactu

marcescit. Speculum est, quovis attactu maculatur, obfuscatur, inficitur. vide. Ann. Mar. Bene. 25. Julii.

Sed quid multis opus est; tot habes Religiose amantium castitatis exempla, quotquot sacrarum Virginum, Principumque sponsalibus) sese Virginitatemque suam Deo consecrârunt. Unum tamen adhuc illud ex excelsum Virginitatis lilium profero Gertrudem Virginem & Abbatissam Nivellensem Pipini & Jttæ Brabantæ Ducum filiam. Hæc formæ & morum elegantiæ in sui amorem converterat paris nobilitatis juvenem Austrasie Ducis filium. Orator ad conciliandum connubium accesserat ipse Rex Franciæ Dagobertus, & inter epulas, quas Virginis Parens Regi splendidissimas exhibebat, pro amasio ad Gertrudem verbum fecit. Ast ista (suspenſis ad responsum Virginis Principum animis) resoluti animi responsum dedit, alium se sponsum nolle, quam illum, cuius pulchritudinem sol ipse & luna mirantur, cuius ditio & possessio non terra solum, sed Cœlum sit. Cuius famulitum, Angelorum effent Myriades, juxta illud: *milia millium ministrabant ei, decies milles centena millia assisterent ei: obstupuit ad responsū & ad tantum castitatis amorem admirabundus Rex.* Juvenis vero Princeps præ indignatione (nihil id curante Gertrude) consensis mox equis recessit. Gertrudis vero ut nivœ mentis pudoritutum & congruum receptaculum haberet, Nivellam condidit, celeberrimum posthac Cœnobium, in quo & ipsa Virginibus Cœteris castissimis præfuit. Vis nosse, quanti Deus tantum castitatis amorem fecerit; miraculis multis eum comprobavit. Nam invocatum à periclitantibus solum nomen ejus maris procellas domuit, & ex undis mitem eripuit periclitantes, & hoc ante mortem; post mortem quoque velum ipsius incendio Cœnobium deparente flamas restinxit. Ut videres, illis ipsa Elementa subesse, qui flamas libidinis domuerent. Gertrudi huic

huic jungs alteram : Nivellensi Elpidianam, illam nimis mirum lectissimam Christi Sponsam, Virginum miraculum, Elpidiani Cœnobii Abbatissam, quæ tam pura casta, tamque castè pura & puritatis amans fait, ut neminem quamvis sanctissimum, unquam aspiceret, & vel ideo miranda suis Sororibus videretur : De qua Sponsa sua Christus ipse cuidam pro ea oranti testatus est ; ipsa mibi liliion est electum, quod manibus meis portare affecto ; suprema mibi est namque voluptas, in anima ejusmodi casta NB. ac pura morari. lib. I. insin. cap. 4.

His omnibus addo S. Ittam, castissimam matronam illam, de qua supra Instrumento 20. quæ vivente Conjuge conjugalibus deliciis carcere penitus, & in ipso Matrimonio cœlebs castaque permanere voluit, impetratâ fusis precibus licentiâ à Marito Comite. De S. Cunegunde Imperatrice, postea Ordinis Nostri Salvatori quid dicam ? Quæ adhuc rariori exemplo Marito Imperatori, in Imperatoria rerum omnium affluentia convivens, casta tamen, imò Virgo vixit. Quid unquam Augustius orbis vidit, quam Augustos hos Conjuges, Conjuges inquam tantæ opulentiae, tantæ fortunæ, tantæ dignitatis, & tamen Virgines ! Notam imperantes orbi quam sibi, quam Cupidini & indeomitæ veneri : quibus potior cura & amor fuit conservandæ imò propagandæ castitatis, quam familiæ plus Virginitatis thesaurum, quam auri & argenti stimantes. Si sic castitatem amabant, sic servabant nulla castitatis lege, voto nullo obstricti ? Si sic à licetis sibi ultrò recesserunt deliciis ? Et Religiosus votum obstrictus, Deo & castitati per Professionem solemnem addictus castitatem minus amet ? minus sibi voluptates minimè licitas interdicat ? proh pudeat à molli sexu virum vinci, & virum illuc effœminari, ubi viriliter fœminæ agunt, viriliter vincunt, & triumphant. Potuerunt hæc, Potuerunt sexcentæ alij

castitatem amare , & tu non poteris ? Fac possis ; Nam poteris , si vel s.

Unum adhuc placet pro coronide adducere castitatis amantium exemplum, imò exempla duo in uno. Verba enim movent quidem , ast exempla trahunt . Ut ergo traharis exemplo Religiose , exemplum affero in uno duplex , exemplum viti , & fœminæ ; exemplum simul Religiosæ & Secularis Personæ ; exemplum Fratris & Sororis , castitatem super omnia amantium & proprio etiam sanguine propugnantium , exemplum non novum sed antiquum , imò ideo fortè tibi Lector Amice novum , quia antiquum , idque de S. Placido , Benedictini Ordinis Nostri Proto Martyre , & Sorore ejus Flavia. Nam tempore quo Justinus & Justinianus Romani Imperii sceptra tenebant , præsidente in Sede D. Petri Joanne I. eodem etiam tempore Beatissimus P. Benedictus velut Lucifer inter astra , sic ille in Sublaciensi solitudine radiabat virtutibus & miraculis , duodecim Monasteria illic construens , pro illis , qui ejus Sanctitatis famâ permoti , in eodem loco ad eum confluabant , omnipotenti Deo sub ejusdem Magisterio servituri . Fama itaque tanti Viri per totum Romanum Imperium percrebrescens , urbem ipsam Romanam quæ totius Romani Imperii , omniumque urbium Caput est , implevit . adeo ut Tertullus Vir Nobilissimus inter Romanos , & post Augustos illos , nulli secundus , munere Patricius , Sanguine Anicius , opibus ditissimus , sapientiâ & prudentiâ rerum gerendarum laudatissimus , obtulerit eidem S. P. Benedicto (præter 18. Curtes , quas in Sicilia habebat) etiam filium suum , nomine Placidum . Quippe ex Octaviæ gentis nobilissima familia ducens uxorem , tres benedictos ex ea suscepit Filios , Filiam unam ; Primum dixerunt Placidum , secundum Eutychium , tertium Victorinum . Quartoloco ei nata filia est , quam Flaviam dixerunt . Ex his igitur charissimis pignoribus mox primum

Deo obtulit, & S. P. Benedicto tradidit erudiendum secundum normam & formam sacræ institutionis suæ, dum adhuc septennis esset; moxque sub ejus disciplina & Monasticæ vitæ institutis tantum profecit, ut non solum inter præcipuos ejus Discipulos numeretur, sed etiam primus ex Benedictino sacro Ordine Martyrij laureâ coronari cū socijs mereretur. Is postquam virtute magis quam ætate adoleverat, in Siciliam à S. P. B. missus est, ubi manens per multum territus, Monasterium & Ecclesiam in honorem S. Joannis Baptistæ prope Messanæ portum construxit in loco quem Pater ejus, patrimonij loco, Ordini donaverat, dum eum illi nutriendum, & in virtute erudiendum traderet. Habebat enim possessiones suas Tertullus Vir ditissimus etiam in Sicilia, in quam ut Ordo S. Benedicti sanctitasque pariter invehernetur, transcriptis S. P. B. & Ordini sacro possessiones suas & Cures, quas in Sicilia habebat. Cumque triginta Monachos sub ejusdem S. P. B. Regula rexisset atque infuerisset S. Placidus, sanctitate & miraculis penè quotidiani clavuit, ut testatur Breviarium lect. VI. Noct. II. Cœcis visum restituit, surdis auditum, claudis grecsum; leprosos mundavit, dæmoniacos curavit, & aliis infirmis multis sanitatem restituit, uti fuisse videtur in actis SS. Ord. S. B. Tomo & saeculo I. Interea dum Monachi sub ejus disciplina optimè proficerent & De laudes promoverent, veniunt Saraceni Duce Manchâ, missi à Rege Abdalâ, & irruentes in Regionem illam, cum multis millibus, omnia quæque, praesertim loca sacra cum violentiâ destruebant, homines vero ipsos, vel ad partes sui Reges trahere adlaborabant, vel crudeliter occidebant, prout multi tum Viri, tum mulieres, tum parvuli de Messana civitate crudeliter ab illis fuerant trucidati. Venientes autem ad præfatum Monasterium, invenerunt præter S. Placidum Antistitem & Monachos ejus, etiam S. Eutychium & Victorum.

Victorinum S. Placidi Germanos cum Flavia Sorore,
 qui paulò antè S. Placidum Germanum suum in pri-
 stinis possessionibus Patris sui, visitaturi advenerant.
 Hos ergo adoriuntur Tyranni, monent, suadent ut
 negarent Christum; & sic eritis (inquiunt) amici
 nostri, & amici Ducis nostri Manuchæ, amici imò qua-
 si fratres Regis nostri Abdalæ, & dabimus vobis qui-
 quid petetis, possessiones multas, divitias Regias, uxo-
 res egregias. Cæterum si renueritis, omnes simul
 crudeli morte peribitis. Quid hic quæso fecissent vel
 facerent Religiosi nonnulli, si tales ei promissiones fie-
 rent, si impunè liceret servire Veneri, uxores habere &
 possessiones, secus morituri? Certè vinum & mulie-
 res Apostatare faciunt etiam sapientes. Quot Religio-
 si, mulierum amore seducti, quia castitatem minus
 amarunt, Deum negarunt, à Religione, à fide aposto-
 runt! Ast non sic hi Generosi Christi Athletæ, hi ma-
 gnanimi pugiles, & castitatis propugnatores: Sed casti-
 tam sovebant, eligebant, diligebant usque ad tormenta,
 usque ad sanguinem, usque ad mortem. Nam
 torqueri se potius, & pedibus suspendi se permiserunt
 igne & fumo copiosissimo supposito: id semper inge-
 minantes & orantes, absit hoc à nobis, ut Christum
 negemus & diabolo serviamus; ut castitatem negliga-
 mus, & Venerem eligamus. Cumque viderent,
 quod S. Placidus esset quasi Dux & instigator eorum,
 qui illos magis animabat, & confortabat in fide & a-
 more castitatis, sacrum os illius lapidibus contun-
 dunt; & quia adhuc semper Iesum Christum nomina-
 bat, linguam ei funditus amputarunt, additis flagellis
 & torturis. Cumque etiam linguâ jam præcisâ non
 cessaret laudare Dominum & benedicere Nomini ejus,
 tanto magis illum flagellabant, quantò magis ad Do-
 minum clamabat. Postquam igitur S. Placidus cum
 sociis suis, crudeliter & abundanter jussu Tyranni jam es-
 set cruciatus, ad tribunal, ad sævitiam, ad tyrannidem

specialiter Soror ejus S. Flavia citatur, Virginitatis ex corde amans, & incredibili vultū decore micans: Hæc cum pariter nec à fidei, nec à Virginitatis proposito, seu minis, seu promissis posset abduci, in rabiem egit Manucham Ducem & Tyrannum sœvissimum. Is enim aduersus Virginem & castitatis amatricem, rabido inflamatus furore, convertens se ad milites & ministros suos, dixit: exuite hanc & denudate, pedibusque in sublime erectis suspendite: cumque jussi facerent, nudamque suspenderent, Virginem castissimam & castitatis amantem; alloquitur denuo illam Dux sœvissimus: interrogans illam, an non verecundaretur in turpitudine nuditatis suæ. Cui Virgo Christi respondet; pro eo quod nuda sim & fœmina, nulli mihi adscribetur culpa; Deus enim conditor viri & fœminæ est, unde de sexu nulla mihi est ignominia. Neque etiam nuditas involuntaria castitatem violat, sed potius ejus meritum adauget; & quamvis quidem hæc nuditas magna mihi afflictio & pœna sit, paratus tamen sum, pro Dei & castitatis amore, non tantum nuditatem sustinere in corpore, sed etiam gladium & ignem. Imò quia denudari me turpiter fecisti Dux impie, conformiorem me meo sponso fecisti Iesu Christo, qui etiam pro me denudari, flagellari & crucifigi voluit. Igitur Dux impius, majori succensus ira, fustes & flagra afferri jubet, castamque Virginem sine intermissione & fine misericordia flagellari, ac tandem fumo supposito, aliisque variis tormentis torqueri, ut consensum extorqueret abnegandi fidem & castitatem. Verum quia toto die in talibus pœnis decurso, viderat se in vanum laborasse, nec à castitatis & Christi amore sanctam Dei Virginem posse dimoveri, hinc S. Virginem iterum deponi, & in carcerem jussit includi, novis & acerbiora subituram pro castitate certamina. Pau- eis enim post diebus S. Virginem & castitatis amatri- eam jussit tradi quibusdam lenonibus de exercitu suo, qui

qui Flaviam corrumpere, & pudicitiae florem invitae eripere deberent. Invitato igitur ad tam turpe facinus toto exercitu, si cui animus esset, libidinem suam cum castissima Virgine explendi, suspexit in Cœlum Virgo innocens; & orans sic cœli Numen affatur: Deus qui sedes super thronos, & judicas justè, esto mihi in Deum Protectorem & in locum refugij. Respice in me, & salva ero Domine. Succurre, protege, defende; ne polluant inimici Tui *FAMULAM TUAM*; ne dicant, prævaluimus adversus eam. Audivit & exaudivit quantocytus Cœlum vota pia, & mox ad vota adfuit Amator & Protector castarum mentium Deus. Nam cum ad Ducas imperium, lenones vim castissimæ Virginis inferre vellent, & vi ac stupro violare, quæ sponte noluit in castitatis violationem consentire; ecce hirci hi lascivi, vim ei inferre volentes, & jamjam manus ad eam contingendam extendentes, subitanè pœnâ quantocytus puniti sunt, eorum manibus, brachijs & nervis sic arefactis & stupentibus, ut ne manum quidem movere possent; imò præ doloris vehementia supra modum non tam clamare, quam mugire auditi sint. Attamen impiissimus Dux Manucha ab impietate sua minimè desistens, SS. Dei Martyres Placidum, Eutychium, Victorinum, & Flaviam Virginem, iterum ad novum examen & tentamen citat, eosque furibundâ facie affatur: Quousque insipientes vos, nostra tolerat clementia! aut bonum consilium arripiete, Crucifixum negate, castitatem abjurate, & in partes Regis nostri Abdalæ concedite, uxores sumite, nuptias non respuite, possessiones oblatas respicite, aut omnes accerrimâ morte peribitis. Cumque nullo pacto, nullo tormento, à sancto proposito, à fide, à castitate dimoveri possent, sævissimus Manucha, adhuc magis sæviens & excandescens, jussit SS. Dei Martyres Placidum, Eutychium, Victorinum & Flaviam strictrius ligari, corumque tibiis prægrandes & graves navium

anchoras imponi, & super anchoras, prægrandes iterum
 superimponi lapides, ut hoc dolore compellerentur
 sanctum mutare propositum. Cumque tota die &
 nocte, in tanto cruciatu perdurassent fortiter, die altera
 illucescente, Pagani ad SS. Martyres reversi, videntesq;
 illos immobiles in suo proposito perstere, suclama-
 bant: O stolida capita, Olapidea pectora, cur salutari-
 bus consilijs non acquiescitis? Cur vos non miseret
 vestri? Facite, quæpetuntur; & habebitis, quidquid
 petetis: Liberabimini ab hac tortura & pressura; ha-
 bebitis aurum & argentum; possessiones, uxores, ho-
 nores, & quidquid desideraverit cor vestrum. Re-
 spondet cum Fratribus suis & Sorore Placidus: Mu-
 nera vestra vobis sint, nobis fides & virtus, castitas &
 pietas, Christus & verus Deus sunt super aurum &
 argentum, super Topazion & omnem lapidem pretio-
 sum. Hinc irritati consultores pessimi, quod consiliis
 nollent acquiescere, rem omnem, prout erat, Duci re-
 ferunt. Et constantiam Martyrum sub pertinaciæ no-
 râ exaggerant, & eatenus sævissimum Ducem (an di-
 cam Tyrannum) exacerbant, ut terribili furore irâ
 succensus, mox ultimam dictaret sententiam, ut om-
 nes crudeli morte afficerentur: Vix sententia lata es-
 mox currebant, imò volabant Ministri & executores
 nequitissimi, ut eam executioni mandarent: Mox enim
 ad custodiæ properant, in qua clausi detinebantur,
 de custodia eos extrahunt, & usque ad litus maris, in
 quo decollandi erant, eos perducunt; quò dum deve-
 nissent sævientes satellites, dixerunt: nunc adhuc tem-
 pus est, si obsecundare velitis iussionibus invictissimi
 Dicis nostri; si minus, morte moriemini. Ast con-
 stantes in fide pariter & castitatis amore Martyres om-
 nes & singuli, in mortem se paratos esse asserebant, ro-
 gantes ut iusta perficerent, & Martyrij palmam non
 auferrent neq; different: agonemque suum Domino
 commendabant ferventi oratione: ut per merita Ma-
 gistris

gistris sui S. P. B. mererentur constanter subire Martyrium, & recipere coronam gloriæ. Unanimis hæc erat omnium oratio, unanime Martyrij desiderium. Igitur post verbera & suspensionem, post fumi adhibitionem, post membrorum tortionem, arteriarum & dentium confractiōnem, & linguæ abscissionem tertio Nonas octob. ad portum Messanæ civitatis omnes de-collati & trucidati sunt Anno Christi 545. Manucha tamen needum de Sanctorum sanguine saturatus, præcepit insuper, ut Monasterium, in quo castitas, & di-cti castitatis Amatores habitaverant, fieret in combustionem & cibus ignis, funditusque everteretur. Quod & factum est. Solam tamen Ecclesiam intra Monasterium in honorem S. Joannis Baptistæ constructam, cum esset alta, & firmiter ædificata, succendere sive e-vertere non potuerunt, modis tamen omnibus, quibus poterant, illam polluere & profanare satagebant: Ecclesiam adulterijs coquinando, altare Domini scrcoribus & urinis fœdando, & quidquid lascivia, im-pudicitia & nequitia suggestere vel admittere poterat, exercendo. Ast senserunt Vindictam impij. Nam quinta die reversuri Saraceni cum Duce suo pessimo in Patriam, naves consenderunt. Pacato & tran-quillo mari; vixque à litore solverunt, en subito tem-pesta oritur tanta, ut nec retro nec ante procedere pos-sent, sed comprehensæ in medio à concurrentibus undis naves illæ, omnes, cum Saracenis sexdecim milli-bus ostantis, demersæ sunt in profundum maris. Tale scilicet balneum & lavacrum merebantur im-puri Veneris Alumni & hostes castitatis castarumque mentium. Scilicet in regno Veneris, nempe mari, castigari debuerunt, castitatis hostes & Veneris amici ac amatores, qui deflorare Flaviam Virginem, & flo-re pudicitiae privare voluerunt. Casta vero Sanctorum Martyrum corpora etsi adhuc in litore jacerent inhu-mata, attamen in præmium castitatis, à feris & avibus man-


manserunt intacta, illæsa & incorrupta: & pro turp
Veneris fœtore suavissimum & deliciosissimum odo
rem spirarunt. Quorum meritis & intercessione eo
dein in loco, Iesus Christus Dominus noster beneficis
sua præstare non definit usq; in hodiernum diem, ut
loquitur Mabilon in Actis Sanctorum Ord:S. P. B. Lu
tetiae Pariflorum editis. An. 1668. Pag. 75. Sic nimi
rum castitatis & puritatis amantes, Placidus cum Fl
via Sorore & socijs, tradiderunt corpora sua potius ad
supplicia, quam ut Veneris sectarentur oblectamentis
sanguinem suum fuderunt pro castitate, castitatem
plus quam vitam diligentes; & sic vere laverunt sto
ras suas castitatis, & dealbaverunt eas in sanguine Agni
quem modo sequuntur, quocunq; jerit. Hi ergo exem
plio suo etiam nobis aperuerunt viam & modum, ca
titatem super omnia amandi. Si Secularis es, habo
etiam in Persona Seculari & quidem in sexu frag
nempe in tenera Virgine fortitudinis & amandæ ca
titatis, fortiterq; propugnandæ exemplum; Sin autem
Religiosus sis, habes in ea pariter & Germano ejus.
Sociisque exemplum efficax, quomodo juxta moni
tum S. P. B. oporteat castitatem diligere; nempe super
vitam, & super omnia.

Synopsis & praxis hujus §. I. Caſtitatem aman
dām ſervare, ſervatam propugnare omni modo po
ſibili, exemplo Sanctorum ante memoratorum.

Vide an talis & tantus sit amor tuus, Deumq;
ora, ut intercessione horum sanctorum. detta
lem vel adaugeat amorem castitatis.

Finis tertiae Partis.





Dilectus plane DEO & hominibus Benedic tus usq[ue] hodie
triplici fructu pascit Domini gregem. Pascit vita, pascit
doctrinā, pascit intercessione. Per quem incessanter adjutū
fructificate, quoniam in hoc positi estis, ut eatis, & fru-
ctum afferatis boni operis S. Ben.
Natal. S. Ben.



